





EXERCITATIO THEOLOGICA, 23.

De

EFFECTIBUS
JUSTIFICATIONIS,

Ad Locum Pauli Rom. V. v. 1. 2.

Quam

ADJUVANTE DIVINA GRATIA,
Et Consentiente Ampliff. Facultat. Theolog.

PRÆSIDE

SUMME REVERENDO ATQVE MAGNIFICO

DN. CASPARO LOESCHERO,

Doctore & Professore Theologo undique
celeberrimo, Consistorii Ecclesiastici Assessore
Seniore gravissimo, Ecclesiæ Wittenbergensis Pastore, &
Circuli Electoralis Saxonici Superintendente Generali
vigilantissimo, Ordinis sui

DECANO,

*Patrono suo, & Patre in Christo
honoratissimo,*

Ad diem 28 Martii, Anni M DC XCIX.

Placido Θεολογικῶν examini subjicit

M. CHRISTIANUS Gottfried Bräse|

Archi-Diaconus Wurzenf.

WITTENBERGAE, Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, ACAD. TYP.

SENATUS

SPLENDIDISSIMI,

IN

INCLYTA DRESDA,
PROCELIBUS,

VIRIS

*Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Consultis-
simis atque Prudentissimis,*

CURIAE COLUMNIS,
REIPUBLICAE PATRIBUS,

*Dominis Patronis, Mæcenatibus, Fau-
toribus meis devotè suspiciendis,*

Hanc Exercitationem Theologicam
in grati animi *τενμήριον*, debita observantia
facram offero,

Ceu IPSORUM

Per Octennium Alumnus olim,
nunc verò

*Religiosissimus Cultor atque in Domino
Debitor,*

M. Christianus Gottfried Gräfe/
Archi-Diaconus Wurzenf.



I. N. S. S. E. I. T. A.

Prooemium.



Notum est, L. B. doctrinam Christianam memoriae & doctrinae causa certis articulis, (qui articuli fidei vocantur) inclusam esse. Est autem articulus fidei propositio, non aliunde quam ex speciali revelatione cognoscibilis, homines adultos obligans ad credendum sub jactura aeternae

salutis. Requisita articuli fidei tria esse docent Theologi, nempe, ut (1) sit de re inevidente, (2) ut sit divinitus revelatus, (3) ut necessariam habitudinem importet ad aeternam hominis salutem, adeoque obliget ad credendum sub metu aeternae damnationis. *D. Meier Theol. Fidei p. m. 166.* Dividuntur in Puros & Mixtos; Illi ex solo DEI verbo petuntur, & tantum creduntur: Hi, etsi ratione aliquo modo constant, creduntur tamen solum quatenus in Scripturis extant. Alii fundamentales sunt, qui fundamentum fidei concernunt, & vel Primarii sunt, sine quorum notitia nemo salutem consequitur; vel Secundarii, quorum ignorantia simplex non statim officit salutem. alii non sunt fundamentales, ita distinguit *B. D. Nicolaus Hunnius in Ag. one ψ. de fundam. Diss. Calv. p. 35. B. D. Ca-*

lov. Instit. Theol. Proleg. p. m. 189. seq. Articuli fundamentales in tres classes dispescuntur, ut quidam generent fidem, quidam ad generatæ fidei essentiam pertineant, quidam autem fidem jam generatam sequantur. vid. *B. D. Hülfsem. Diss. de Fundament. fidei & artic. fundament. lit. C. 2.* Inter hos eminent articulus de Justificatione hominis peccatoris coram DEO ceu Luna inter stellas, siquidem hic articulus Cor & Palladium doctrinæ Evangelicæ est; Sicut Pontificii pro fundamentali articulo agnoscunt art. de Pontifice Romano, Calviniani de Prædestinatione; Sociniani de Satisfactione illam negativè considerando; Quackeri & alii Fanatici immediatam illuminationem divinam & revelationem, visiones; &c. Ita Evangelici Lutherani articulum de Justificatione pro principali & fundamentali agnoscunt. Articulus de Justificatione fundamentalis est, est enim nucleus & medulla eorum, quæ fidei definitionem ingrediuntur, quod DEUS propter Filii sui meritum peccatores in gratiam recipere, & æternum salvare velit. Est cognitu summè necessarius, non tantum necessitate expedientiæ, sed & exigentiæ, non quibusdam Christianis cibo solido adjuetis, sed & lactis alumnis; non spatium cogitandi solum habentibus, sed & in limine conversionis, & in mortis faucibus constitutis. *Magnif. D. D. Carpzov. in Diss. de non speranda Luther. cum Pontif. & Calv. Unione pag. 18.* Hinc pro conservando hoc art. à Nostratibus ore & calamo contra adversarios semper fuit pugnatum, id quod patet ex integris libris, tractatibus, Disputationibus, concionibus & similibus scriptis, in quibus hæc doctrina à corruptelis vindicata egregieque stabilita est. Id quod maximè necessarium, fatente id *B. Luthero nostro Prefat. Comment. in Ep. ad Galat. T. V. Witt. Lat. f. m. 270.* Opus est hunc articulum quam diligentissimè tractare & Satanæ opponere, five

five fimus infantes five eloquentes, five docti, five indocti, oportet enim hanc petram clamari, si omnis homo taceret, ab ipsis petris seu lapidibus: Siquidem amisso art. Justificationis, amiffa est fimul tota doctrina Christiana. Hæc doctrina de Justificatione ingentes habet utilitates, maxime in tentationibus & morte ipsa, siquidem Effectus Justificat. tam egregii sunt, ut vix mente humana capi, difficulter ore exprimi queant, de his agit Apostolus Paulus præprimis Rom. V, 1. seq. de quibus effectibus Justificationis quædam pro ingenii tenuitate Theologorum placidæ disquisitioni hac disputatione proponere, bono cum DEO decrevi, motus adhortatione *B. Lutheri* nostri l. c. f. 274. Admoneo igitur vos, præsertim qui futuri estis Magistri conscientiarum, & unumquemque seorsim, ut exerceatis vos studendo, legendo, meditando & orando, ut in tentatione possitis conscientias & vestras & aliorum erudire & consolari, & reducere à lege ad gratiam, ab activa justitia ad passivam, summa, à Mose ad Christum. Disputatio *duabus* absolvetur *Sectionibus*, prima erit *Exegetica*, altera *Dogmatica*. DEUS Triunus adsit mihi sua gratia quàm clementissimè, ut omnia cedant in Nominis sui gloriam, & Ecclesiæ emolumentum propter Dominum Jesum Christum Salvatorem nostrum. Amen!

SECTIO I. EXEGETICA.

VERBA AUTHENTICA,

Rom. V, 1. 2.

V. 1. Δικαιοθέντες δὲ ἐκ πίστεως, εὐχένην ἔχομεν πρὸς τὸν Θεόν
ἀλλὰ τὰ κρείττα ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

V. 2. διὰ δὲ καὶ τὴν προσευχὴν ἐσχάσαμεν τῇ πίστι εἰς τὴν χάριν
ταύτην ἐν ἣ ἐσχάσαμεν, καὶ καυχώμεθα ἐπ' ἐλπίδι τῆς δόξης τῆς Θεῶν.

A 3

Versio

Versio Vulgata.

v. 1. Justificati ergò ex fide pacem habemus ad DEum per Dominum nostrum Jesum Christum.

v. 2. Per quem & habemus accessum per fidem (fide) in gratiam istam, in quâ stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum DEI.

Versio Lat. B. D. Seb. Schmidii.

v. 1. Justificati itaque fide, pacem habemus erga DEum per Dominum nostrum Jesum Christum.

v. 2. Per quem & aditum habuimus fide in gratiam hanc, in quâ stamus, & gloriamur super spe gloriæ DEI.

Versio Germanica B. Lutheri.

v. 1. Nun wir denn sind gerecht worden durch den Glauben / so haben wir Friede mit GOTT durch unsern HERRN JESUM CHRIST.

v. 2. Durch welchen wir auch einen Zugang haben im Glauben zu dieser Gnade / darinne wir stehen / und rühmen uns der Hoffnung der zukünfftigen Herrlichkeit / die GOTT geben sol.

E X E G E S I S.

§. I. Particula *ergò* remittit nos in antecedentia, ubi Apostolus prolixè egerat de modo & processu Justificationis hominis peccatoris coram DEO, nempe Cap. III. & IV. & immediatè ante textum nostrum demonstraverat Mediatorem inter hominem peccatorem & DEum iratum, Jesum Christum, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter Justificationem nostram. Rom. IV, 25. Qui ergò credit in Jesum Christum mortuum & à mortuis resuscitatum, ille habet veram Justificationem coram DEO. &c. Si est justificatus, ergò habet

habet pacem cum DEO, sic infert Apostolus hac particula, & transit à modo justificationis ad ejus effectus. Alias $\delta\upsilon\epsilon$ est conjunctio rationalis 1. Cor. VI, 15. significat etiam, autem Joh. XII, 17. verò Luc. XII, 12. interdum infert transitioni Joh. IV, 18. 1. Cor. XIV, 23. interdum Epianalepsi Joh. VIII, 42. *Pasor. Lex. p. 520.* interdum habetur pro particula abundante vid. *Eduard. Leighii Crit. Sacr. N. T. p. m. 436.* Hoc loco connexionem & illationem denotat, reducit enim lectorem ad actum justificationis, ex quo deinde effectus & fructus oriuntur.

§. II. Δικαιωθέντες, justificati, est part. aor. i. Pass. à verbo δικαιόομαι, ἔμαι justificor. Significat aliàs in Scriptura sacra justificatum esse Apoc. XXII, 11. liberatum esse Rom. VI, 7. justum esse declaratum Luc. X, 29. 1. Tim. III, 16. justum esse pronunciatum seu absolutum in judicio DEI Matt. XII, 37. Luc. XVIII, 14. Rom. II, 13. *Leigh Crit. S. N. T. p. 167.* ἵνα δικαιωθῶμεν ἐκ πίστεως Χριστοῦ, ut justificaremur ex fide in Christum Gal. II, 16. h. e. ut imputata nobis justitia Christi, quam sola fide apprehendimus, absolveremur, justique pronunciareremur. Hanc significationem satis apertè agnoscit *Justinus Mart. in Dial. cum Tryphon. p. 63. edit. Græc.* Θεὸς τὸν μετανοήσαντα ἀπὸ τῶν αἰμαρτημάτων ὡς δικαίον καὶ ἀναμάρτητον ἔχει; DEUS eum, qui à peccatis resipiscit, tanquam justum & peccati expertem habet. *Basilius M. L. I. de Baptismo C. II. p. 657.* ad locum Rom. VI, 7. qui mortuus est, δεδικαίωται ἀπὸ τῆς αἰμαρτίας, justificatus est à peccato, illud δεδικαίωται exponit, absolutus est, liberatus est, purgatus est ab omni peccato. Et *Theophylactus* ad eundem locum pag 56. interpretatur per ἀπολύεται, ἠλευθέρωται, liberatus est, absolutus est. Hanc significationem & *Estius* pontificius quoque agnoscere cogitur, quando scribit: quod ait, justificatus est, sumta phrasis à judiciis forensibus, ubi qui absolvebatur, justificari dicebatur, h. e.

h. e.

h. e. liberari five à crimine sibi imposito, five à Domino, volente eum sibi vendicare in servum. Id ipsum ostendit etiam antithesis in quibusdam locis Scripturæ Sacræ, ubi τὸ justificare & τὸ condemnare sibi invicem apponuntur, v. g. Rom. VIII, 33. ad quem locum *Theodoretus pag. 69.* ita scribit: Cum dixisset, DEO auxilium ferente, quis nobis nocebit? adjecit, DEO nos justos declarante, quis poterit condemnare? vid. *Spicer. Thes. Eccles. Græcor. Patr. T. I. p. m. 915. Dillherr. Disput. Acad. T. I. p. 285. sq.* In Græca communi lingua δικάζειν simpliciter est verbum forense, & duas habet significationes: (1) Significat aliquid justum censere seu pronunciare, non privato judicio, sed sicut illi, qui cum imperio sunt, pronuntiant. *Plutarch. in Agesil. f. 208.* Agesilaus denunciato bello, coëgit omnes stare illis, οἷς ὁ πέρσις ἐδικαίωσε. *In Bruto:* Qui cædi Cassii insultarunt, cum mimi captivi in judicio accusati essent, Messala Corvinus ἐδικαίωσεν, virgis cæsos, nudos esse mittendos ad castra hostium. (2) Significat supplicio afficere, καλᾶζειν, non sicut privati homines puniunt, sed cum causa dijudicata judicialiter aliquis punitur. *Suidas* exponit δικάζωμεν, καλᾶζόμεν, δίκης τυγχάνων: δικάωσις, κατὰ κρῖσις. *Cicero* in *Verr.* ponit verbum ἐδικαίωθησαν, & interpretatur, supplicio affecti sunt. Hinc *Apostoli* hoc verbo more Græcorum usi sunt in articulo de Justificatione, ceu *Paulus* hoc loco. Complectitur autem verbum Justificare in hâc significatione hæc tria: (1) accusatum & in judicium deductum absolvere ab intentato crimine, ne judicialiter condemnetur, vel ut restituatur. (2) Pro justo censere, pronunciare, recipere & acceptare. Et usurpatur in hac significatione indifferenter five causa sit justa, five injusta, confer *Esa* V, 23. *Prov.* XVII, 15. (3) Complectitur & hoc: Ita justificatis tribuere laudem, testimonium & præmia,

præmia,

præmia, quæ justis & innocentibus debentur, tractare illos non ut reos, damnatos, vel etiam ut suspectos, sed ut justos & innocentes. confer Exod. XXIII. v. 8. 1. Reg. VIII, 31. vid. B. D. Mart. Chemnit. LL. Theol. P. II. p. m. 625. 628. seq. ubi plura de hoc verbo invenies. Nam Processus Justificationis maximè in eo consistit, ut homo peccator à peccatis absolvatur, & justus declaretur imputata per fidem justitia Christi, de qua Fide Paulus in textu.

§. III. Ἐκ πίστεως fide, vel ex fide; ἐκ est præpositio regens genitivum, significat interdum causam efficientem, εἰ ἐκ θεῶ ἵσθι, si à DEO est Act. V, 39. τὰ δὲ πάντα ἐκ τοῦ θεοῦ, omnia verò ex DEO 1. Cor. XI, 12. confer 2. Cor. III, 5. 1. Joh. III, 8. interdum notat instrumentum, v. g. ἐκ στόματός τῶν νηπίων ex ore infantum Matth. XXI, 16. ὁ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται, Justus ex fide vivet Rom. I, 17. & ita h. l. sumitur, ut indicet instrumentum per quod homines peccatores coram DEO justificentur, nempe fidem.

§. IV. πίστις Latinè fides. Budeo & Stephano videtur hoc nomen ortum ἐστὶν τὸ πεπεισθαι, sicut & ipsum πείθομαι, aliquando idem valet, quod πιστεύω, ut Act. V, 37. c. XXIII, 21. Clemens Alexandr. Stromat. Lib. IV. p. 531. inquit: Vocis πίστις origo inde deducenda quod sit animæ nostræ ἐστὶν τὸ ὄν σῆσις i. e. circa id, quod est statio & quies: quod nimirum fides in iis requiescat, iis nitatur, quæ revera sunt. At allusio potius erudita est, quam verum etymon. πίστις namque dicitur quasi πείστις à πείπεισθαι, ut ex Etymologicis satis notum est. A Clemente tamen non multum recedit Theodoretus ἱερογ. π. 1. Serm. I. p. 479. quando inter alia sic scribit: πίστιν esse ἐστὶν τὸ ὄν ἐνστασιον, circa id, quod verè est, adhæSIONem. Sumitur autem vox πίστις, præcipuè duobus modis, nempe Active & Passive. Active quatenus est in agente vel dicente. Sic πίστις significat veritatem, sinceritatem & constantiam tum in dictis,

B

tum

tium in factis. Hoc sensu Rom. III, 3. Judæorum ἀπιστία non evacuatura seu innanem redditura dicitur τὴν πίσιν τῷ θεῷ i. e. τὴν ἀληθειαν, ceu ex versu seq. patet: Huc referri debet illa etiam significatio, cum fides sumitur pro promissione vel pacto, ut I. Tim. V, 12. ubi reprehenduntur juniores viduæ, quæ primam fidem irritam fecerunt. Ad quem locum *Theophyl.* p. 781. fidem appellat fœdus, fefellerunt, inquit, pactum, quod cum Christo fecerunt. *Passive*, sic fides significat (1) id, quod creditur, quo respectu fides est extra credentem, & intelligitur per fidem doctrina fidei; (2) id, quo credimus, quo respectu fides est in animo credentis. Atque ita πίσιν sumitur pro notitia & assensu, quo ei, qui loquitur, vel iis, quæ aliquis dicit, assentimur. Hæc fides distinguitur in *Historicam*, Jac. II, 14. *Temporariam*, 2. Tim. II, 18. *Miraculosam*, Luc. XVII, 16. I. Cor. XIII, 2. *Salvificam & Justificantem*. Et in hæc ultimâ significatione accipitur hoc loco. Confer Rom. III, 28. I. Cor. XIII, 13. Gal. II, 16. seq. Rom. I, 17. Consideratur hæc fides vel *Formaliter*, prout est apprehensio fiducialis meriti Christi, vel *Materialiter* ratione actuum concurrentium (quos alii partes analogicas vocant) quorum tres numeramus (1) *Notitiam*, ut v. g. sciamus, esse DEum misericordissimum, & ex hac suâ misericordia misisse Filium suum in mundum, ut agendo & patiando pro humano genere satisfaceret, quô respectu vocatur scientia salutis Luc. I, 77. plenitudo intellectus Col. II, 2. agnitio veritatis I. Tim. II, 4. Fides est brevis & compendiosa eorum, quæ necessaria sunt, cognitio. Cognitio autem est firma ac stabilis demonstratio eorum, quæ assumpta sunt per fidem, quæ per doctrinam Domini super fidem ædificatur, quæ transmittit ad id, quod non potest excidere & mutari, & potest comprehendi scientia, sunt verba *Clem. Alexandr. Lib. VII. Stromat.*

p. 732. (2) *Affensum*, quo assentimur iis, quæ nobis sunt cognita. Atque hinc *Damasc. Lib. IV. O. F. c. 12.* fidem vocat ἀπλυπεραγμύνητον συγκατάθεσιν, inderutabilem consensum. Alii sic interpretantur: Fides est assensus citra curiosam rerum credendarum investigationem: cum nimirum mysteria credimus, etiamsi eorum rationes assequi non valeamus. Intelligitur autem assensus non versatilis, sed firmus & certus. (3) *Fiduciam*, quâ certò confido mihi per & propter Christum omnia peccata esse remissa. Indignant illam singularia fidei elogia, quando dicitur πληροφροῦσα, Rom. IV, 21. παρρησία, Eph. III, 12. Ebr. III, 6. c. IV, 16. κατάληψις, Phil. III, 12. πεποιθήσις, Rom. VIII, 38. ὑπόστασις, Ebr. XI, 1. vid. D. D. *Deutschmann. Dissut. de vero per fidem Justif. modo, hab. Witteberg. M. Febr. Anno 1668.* Et hæc fides est causa instrumentalis Justificationis. Causa autem meritoria est Dominus noster Jesus Christus, ceu Apostolus indicat.

§. V. Διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, per Dominum nostrum Jesum Christum. Διὰ præpositio cum Genitivo notat causam procreantem πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, omnia per hunc, scilicet Christum, facta sunt Johan. I, 3. confer Joh. III, 17. Rom. VIII, 11. causam conservantem, ἐξ αὐτοῦ δι' αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν πρὸς πάντα, Rom. XI, 35. Causam instrumentalem, locutus est DEUS διὰ σώματος per os sanctorum Luc. I, 70. (contrarium statuit *Eduard. Leigh. Crit. Sacr. N. T. p. m. 151.*) Christus non tantum procreavit justificationem merito suo, sed & adhuc conservat, & per illum solum nobis applicatur. Meritum ejus innunt Nomina in textu, vocatur κύριος ἡμῶν, Dominus noster, propter Redemptionem, quippe qui nos pretioso suo acquisivit sanguine, ἕως τοῦ τοῦ πάντων κύριου, hic est omnium Dominus Actor. X, 36. unum habemus Dominum nempe Jesum Christum δι' ἃ πρὸς πάντα I. Cor. VIII, 6.

Deducitur hoc nomen à κῦρῶ autoritas, quia Dominus
 habet autoritatem; vel à κῦρω, quod significat sum. Sæpè
 dicitur non simpliciter Dominus, sed qui pollet autori-
 tate, cui jus est præscribendi. Propriè denotat eum,
 qui autoritate pollet, vel à cuius autoritate aliquid de-
 pendet. Convenit optimè Salvatori nostro, nam ve-
 rus est DEUS, hinc pollet autoritate; est noster Redem-
 tor, idcirco ab ejus autoritate dependent omnia bene-
 ficia, bona & vita æterna, hinc in Scriptis Apostolorum
 simpliciter & absolutè mille adscribitur Christo vicibus.
 Nos sumus servi, ille noster Dominus, suum peculium,
 propter ejus meritum. Hinc vocatur Ἰησοῦς, Jesus, opti-
 mam interpretationem hujus nominis Angelus Domini
 subministrat nobis, dicendo: vocabis nomen ejus Jesum,
 αὐτὸς γὰρ σώσει τὸν λαὸν αὐτῆς ἀπὸ ἀμαρτιῶν αὐτῶν, Matth. I, 21.
 super quem locum vide *D. D. Deutschmann. Dissert. Theol.*
hab. Witteb. M. Sept. ann. 1692. qui plura de hoc nomine
 desiderat, adeat *Fascicul. Dissert. Philol. B. D. Pfeifferi & qui-*
dem Dissert. IX. p. m. 177. idè Dominus noster in hunc
 mundum venit, ut esset salus populi Joh. III, 17. confer
 I. Timoth. I, 15. Nomen Jesus non est Græcum, inquit
Chrysostomus Homil. II. in Matth. p. 10. sed Hebræum, quod
 in linguam Græcam translatum, & notat Salvatorem,
 Salvator autem est, quia salvum fecit populum suum.
 Fecit ut verus DEUS & verus homo in Persona Θεαν-
 θρώπου, propterea unctus est secundum humanam na-
 turam oleo lætitiæ præ consortibus, Psal. XLV, 8. hinc
 vocatur χριστός, unctus, quod respondet Vocabulo He-
 braico in V. T. Messias, innuente id Spiritu Sancto: In-
 venimus Messiam illum, de quo Prophetæ fuerunt va-
 ticipinati, quod, est si interpreteris, unctus. Joh. I, 42. Un-
 ctus autem est non ut DEUS, sed ut homo, χριστός appel-
 latus est tanquam Spiritu sanctissimo secundum huma-
 nam

nam

nam naturam unctus & vocatus Pontifex noster, & Apostolus, & Propheta, & Rex. Hoc est Domini nostri cognomen, quo officium ejus triplex indicatur, Propheticum nimirum, Sacerdotale & Regium. Officium Christi in genere consistit in peragenda DEI Patris voluntate de salute nostra Joh. VI, 38. sqq. Voluit autem DEUS Pater, ut Dominus Christus (1) DEI Patris de salute nostra voluntatem nobis manifestaret: (2) ut præstita pro peccatis hominum satisfactione nos DEO reconciliaret, & merendo vitam æternam nobis acquireret, & (3) ut reconciliatis præesset, eosque regeret, defenderet, & conservaret. Et inde triplex illud Christi officium. Sacerdotale imprimis huc pertinet, quod est, quo Christus lapsum genus humanum universum DEO offenso per præstitam à se satisfactionem suamq; apud DEUM intercessionem reconciliavit, atque vitam æternam meruit. vid. *D. Meieri Theol. Fid. p. m. 451. sq. § 456.* Sic igitur per Christum Justificati pacem habemus cum DEO &c. & hi sunt effectus justificationis, de quibus in sequentibus.

§. VI. Primus effectus est Pax cum DEO, ceu Apostolus docet: *εἰρήνην ἔχομεν πρὸς τὸν Θεόν.* *Εἰρήνη* propriè est pax, & opponitur bello, sic dicta *ἡ εἰρήνη* à connectendo in unum, sicut *πόλεμος* à *πολεῖν*, bellum à versando, quod omnia verset sursum deorsumq;. Pax animos conciliat, conjungit, at bellum eosdem distrahit. Hæc vox igitur origine quidem genuina Græca est, sed quæ vim ac significationem novam recepit, in vulgari Græca lingua non observatam; & quidem ideò, quoniam in vulgari sua significatione respondet voci Hebr. *שלום*, quæ non tantum pacem, sed præterea felicitatem, prosperitatem, incolumitatem, salutem, in qua pax continetur, subinde denotat, vid. Gen. XLIII. 26.

Exod. XVIII, 7. 1. Sam. XXV, 6. Matth. X, 12. sq. Marc. V, 34. Luc. X, 5. & alibi. Hoc loco Apostolus non contentus est vulgari significatione, sed adjecit *πρὸς τὸν Θεὸν* cum DEO, ideò sublimiorem pacem indicat nempe divinam, cœlestem, imò ipsius DEI. In Scriptura Sacra hæc sublimior pax variè invenitur, datur enim (1) Pax DEI cum Angelis Job. XXV, 2. (2) Pax DEI cum hominibus 2. Cor. V, 18. sq. Rom. V, 8. seq. Eph. II, 14. sq. Col. I, 20. (3) Pax hominum in DEO, est illa *εὐθυμία*, quâ freti eiq; obediētes, crucem ejus patienter ferentes, ac in ipso acquiescentes non metuemus adeò incommoda mundi Rom. VIII, 31. sq. Ebr. XIII, 6. & tandem (4) Pax hominum cum DEO, quæ duplici sensu intelligi potest; vel quod homines in pace cum DEO sint, ac vivant, DEO complaceant, ejusque gratia & pace oblata fruantur; vel, quod homines in Deum inclinatione, fiducia & amore ferantur. Qui sensus, cum prior cum ipsa reconciliatione coincidat, hoc loco attenditur, quo ista fidei proprietas in justificatis indigetetur, quæ hominis animam in agnitione gratiæ divinæ tranquillam, & in amore ac fiducia erga DEum pronomam atque promptam reddit, confer Psalm. LXXXV, 11. & CXVI, 7. sq. & LXII, 2. item Rom. VIII, 6. sq. vid. *D. D. Wegner. Exercit. Theol. de Pace DEI pag. 7. seq.* Et de hac pace loquitur h. l. Apostolus, & dicit *ἔχομεν*, habemus in Indicativo, non *ἔχωμεν*, habeamus, last uns haben. Consolari vult Apostolus, non exhortari, & certitudinem & possessionem pacis hujus indicat. Siquidem verbum *ἔχειν* in Scriptura Sacra inter alia habet significationem possessionis, v. g. honoris, laudis, gloriæ & dignitatis. vid. Joh. IV, 44. Possessionem fidei, si habeatis fidem sicut granum Sinapis Matth. XVII, 20. qui fit, ut non habeatis fiduciam Marc. IV, 40. confer Rom. XIV, 22. 1. Tim. I, 19. Cui respondet Synonyma phrasis,

ἔχειν

ἔχειν πεποιθήσιν pro πεποιθήσει confidere, πεποιθήσιν ἔχομεν πρὸς
τὸν Θεόν 2. Cor. III, 4. sic h. l. εἰρήνην ἔχομεν πρὸς τὸν Θεόν, ha-
bemus, posidemus pacem, licet non semper sentiamus;
Aliud est possessio, aliud sensus pacis, justificati habent
quidem pacem cum Deo, sed non semper sentiunt scilicet
in tentationibus Spiritualibus, & hæc de primo effectu.

§. VII. Secundus effectus est Accessus ad DEum
Patrem fiducialis per Christum in fide v. 2. διὰ ἧς καὶ τὴν
προσωπολήνην ἐσχίσκαμεν τῇ πίστι εἰς τὴν χάριν ταύτην ἐν ᾗ ἐσχίσκαμεν.
Particula καὶ conjungit hunc effectum cum antecedente,
& certè fluit ex Pace cum DEO. Si enim homo justi-
ficatus DEO reconciliatur, omnem fiduciam, amorem
in DEum ponit, tunc confidenter ad DEum accedit in
omni calamitate & cruce. Quam accessum seu adi-
tum Apostolus nominat προσωπολήνην, προσωπολήνη latinè ac-
cessus, oblatio, obventio, Græcis Patribus idem ac
προσφορὰ, Cyrill. Alexandr. Lib. XI. de Adorat. p. 402. Eulogius
Archiepisc. Alexandr. Lib. II. contr. Novat. cùm Patrinus ba-
ptizandum ad ἰεραρχίαν deducit, id vocatur προσωπολήνη ad-
ductio. Hoc loco sumitur pro accessu ad DEum ceu
Eph II, 18. c. III, 12. Sciendum igitur est, duplicem esse
accessum ad DEum: Unus, qui fit, dum sumus in hac
carne; alter, qui fiet, cùm exuti hac carne veniemus
præsentes in DEI conspectum, & erit ille omnia in no-
bis, de priori loquitur hic Apostolus. Primum omnis
ad DEum accessus amicitiam cum DEO significat;
Deinde omnis liber aditus ad DEum duplex est: Unus
eorum, qui semper fuerunt amici DEI, & eum nun-
quam offenderunt, ut Angeli boni: Alter eorum, qui
in DEum peccarunt, eumque injuriis affecerunt, talis
est aditus justificatorum in hoc versu. In eo autem
consistit accessus ille, quod Justificati certò sciant, non
esse ullam amplius inimicitiam inter DEum & illos, quæ
impe-

impe-

impediat, quô minus ad DEum accedere, & bona cum conscientia misericordiam illius in omni necessitate implorare queant, quâ fiducia accedendi ad DEum quid felicius? *Muscul. ad Epbes. II, 18.* Talem accessum, inquit Apostolus, ἐξήκαμεν, habuimus, wir haben ihn gehabt / id quod non aliter nisi in latiori significatione debet accipi, nimirum hoc modo: tempus fuit, quo talis accessus nobis datus est per meritum Christi, cum per Dominum nostrum Jesum Christum DEI reconciliati fuimus, & tunc habuimus occasionem accipiendi, hætenus per DEI gratiam non amisimus, sed adhuc habemus, ceu Vulgatus Interpres habet. ἀνεταμέλητα γὰρ τὰ χαρίσματα καὶ ἡ κλήσις τῶ θεῶ. Rom. XI, 29. Per quem verò iste accessus justificatis contingat, seu pateat, Paulus ulterius innuit, nempe per Mediatorem aliquem & Ductorem, qui justificatos adducat, & in conspectum DEI sistat, hunc autem esse Christum, & quidem solum notanter indicat, δι' ἑ, per quem scilicet Dominum nostrum Jesum Christum. Verba egregia de hoc Mediatore & Ductore *B. Lutherus* noster *T. II. Alt. f. 469.* habet, sequentem in modum: Wir haben einen Zugang zu Gott im Glauben / nicht durch uns selbst / sondern NB. durch Christum / darum müssen wir Christum bringen / mit ihm kommen / Gott mit ihm bezahlen / und allein NB. durch ihn und in seinem Namen thun / was wir mit Gott handeln wollen. Und bald darauf: Denn darum ist er hinauf gefahren / daß er uns seinen Geist gebe / auf daß wir neu geboren würden / und nun dörrffen zum Vater kommen / und sprechen: Siehe! ich komme für dich / und bitte nicht also / daß ich mich auf mein Gebet verlasse / sondern darum / daß mein Herr Christus für mich tritt / und mein Fürsprecher ist. Das sind alles feurige Worte / wo ein Herz ist / das da gläubet / wo nicht / da ist alles kalt / und gehet nicht zu Herzen.

§. VIII.

§. VIII. Medium hujus accessus est Fides, τῆ πίστις. Fides enim justificans tantam fiduciam & παρρησίαν in justificatis excitat, ut non amplius à facie Jehovæ fugiant, sed ut liberi ad Patrem mitigatum & misericordem hilari animo accedant, id quod Apostolus requirit alibi: accedamus cum vero corde in plenitudine fidei (seu fiducia fidei) aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aquâ munda. Ebr. X, 22. Terminus ad quem hujus accessus est Gratia Justifica, in quâ justificati stant, εἰς τὴν χάριν ταύτην ἐν ἣ ἐσῆκαμεν. χάρις notat gratiam, beneficentiam, & sæpius in sacris literis occurrit, præprimis in Epistolis Paulinis. Significat & gratiarum actionem 1. Cor. X, 30. gaudium 2. Cor. I, 15. Epist. ad Philem. v. 7. Eleemosynam 1. Cor. XVI, 3. favorem Dei erga nos homines, dona ex gratia data 1. Petr. V, 5. & beneficium ipsum, & gratiam, quæ pro officio debetur significat: vid. *Leigh. Crit. S. P. II. p. m. 639. & Supplem. p. 741.* A Patribus Græcis vox χάρις sæpe ponitur pro Baptismo, *Cyrill. Catech. Mystag. IV. προσέρχεται τῆ χάριτι* accedere ad gratiam i. e. ad Baptismum. *Gregor. Nyssen. Orat. advers. eos, qui baptismum differunt T. II. p. 220.* inquit: Montes & sylvæ baptizate, arbores & rupes & fontes δότε τὴν χάριν conferte baptismum. Deinde etiam pro sacra Cæna. *Cyrillus Hierosolym. l. c.* ait: Salomonem Eccl. IX, 7. cum dicebat: vade, & comede in lætitia panem tuum, & bibe &c. intellexisse de pane spirituali, αἰνιττόμενον τὴν χάριν, i. e. Sacramentum Cænæ Domini. Apud *Cyrillum Alexandr.* sæpè occurrunt hæ locutiones: τῆς θείας χάριτος μεταλαμβάνειν, & προσίεναι πρὸς τὴν ἐράνιον χάριν, de participatione Cænæ Dominicæ. Partes ipsæ distribuendæ fidelibus ex pane fracto, gratiæ nomine veniebant, uti Augustini verba ostendunt: Unusquisq; accipit partem suam, unde & ipsæ Gratia partes vocantur.

C

cantur.

cantur. vid. *Swicer. Thes. Eccles. Græc. Patr. T. II. pag. m. 1500.*
Hoc loco notat Gratiam Justificam, siquidem causa impellens ad justificationem, ad reconciliationem, ad pacem cum DEO, ad accessum fiducialem ad DEum Patrem nulla alia est, quam Gratia Dei, quam amor infinitus, & misericordia Dei ineffabilis. Hinc notanter dicitur: *εἰς τὴν χάριν ταύτην*, quasi digito monstraret, nullam esse aliam, quam istam ipsam Dei gratiam, quam & in sequentibus egregiè describit Rom. V, 8. seqq. De quâ gratia gloriatur Apostolus, *ἐν ἣ ἐστηκαμεν*, in qua stamus. Volunt quidem aliqui Interpretum hanc stationem ad fidem referre, & non ineptè, siquidem alias Scriptura Sacra constantiam seu statum fidei adscribit, sic noster Apostolus inquit: *οὗ δε πίστες ἐστηκαμεν* Rom. XI, 20. initium, medium & finis salutis seu perseverantia ex fide est. Interim tamen ad oculos unicuique lectori patebit, melius esse, si verbum *ἐστηκαμεν* ad Gratiam referatur, stamus in Gratia Justificante, vel in quâ hactenus stetimus. Indicat hoc verbum simul, justificados metam præfixam, nimirum gloriam vitæ æternæ, non attigisse, sed illos adhuc in via esse, in militia, in acie ipsis standum, fortiter pugnandum, donec peracto cursu, & finito certamine corona justitiæ illis à Judice justissimo imponatur 2. Tim. IV, 7. seq. ad quam consequendam & in æternum illâ fruendum certam spem haberent justificati & credentes.

§. IX. Quæ spes futuræ gloriæ est Tertius Effectus Justificationis: *καὶ καυχώμεθα ἐπ' ἐλπίδι τῆς δόξης τοῦ θεοῦ*. Particula *καὶ* non tantum connectit hunc effectum cum antecedentibus, sed & indicat certitudinem futuræ gloriæ, de quâ credentes adeò certi sunt, ut etiam gloriari possint super spe gloriæ Dei; quam gloriationem Paulus verbo *καυχάομαι* indicat. Glorior, aliis est exulto, sed
pro-

propriè significat gloriari, quod amplius quid est, quam
 exultare. Hoc verbum apud Paulum, cum in laude
 ponitur, non significat sibi aliquid tribuere (ut superbi
 solent) sed in aliquâ re acquiescere; cuius insigne ex-
 emplum suppeditat noster Apostolus Rom. VIII, 31. &
 deinceps Gal. VI, 14. sic h. l. καυχώμεθα gloriamur, i. e.
 non modo æquo animo & moderato sumus, sed etiam
 magna lætitia perfusi nobis placemus de hæreditate
 cœlesti, quæ nos manet. Plura de hâc voce lege apud
 Magnif. Dn. *Præsidem in Gloriatione Paulinâ p. 6. § 7.* Hinc
 dicit ἐπ' ἐλπίδι super spe vel in spe. Nomen ἐλπίς sumi-
 tur vel Propriè pro affectu cordis in homine, quo bona
 futura expectantur; Ἐλπίς δὲ πρὸς προσδοκία ἀγαθῶν, ἢ ἀπόν-
 τος ἀγαθῶ ἐνελεπίς. *Clem. Alexandr. Strom. II. p. 377.* Spes in
 genere nihil aliud est, quam bonorum expectatio: Qui
 metuit, ille etiam expectat, sed non bona, malorum
 enim expectatio metus est, bonorum verò Spes; vel
 Impropriè, idque (a) Metaphoricè, cum inanimatis vel
 irrationabilibus creaturis tribuitur, ceu in genere locus
 ille Paulinus Rom. VIII, 21. explicari solet. (b) Metony-
 micè, pro re sperata. v. g. 1. Cor. IX, 10. & pro certa per-
 suasione 2. Cor. I, 6. 2. Cor. III, 12. hoc loco sumitur pro-
 priè pro expectatione bonorum futurorum in alterâ
 vita. Quæ bona futura Apostolus indicat per voces
 τῆς δόξης τῆς Θεῆς. Δόξα notat splendorem, claritatem, ful-
 gorem, & insignem pulchritudinem cum aliqua digni-
 tate conjunctam & Majestate, vide Matth. VI, 29. Actor.
 XXII, 11. 1. Cor. XV, 41. Luc. II, 9. Talis δόξα erit vita
 æterna vel bona futura illius. Vocatur δόξα τῆς Θεῆς,
 non quæ in ipso DEO est, sed quâ nos credentes DEUS
 gloriosos faciet, hinc B. Lutherus noster emphaticè
 transtulit, die Gott geben sol/ & ideò vocatur eine zu-
 künftige Herrlichkeit. Intelligitur igitur per hanc glo-
 riam

riam beatitudo revelata in verbo veritatis, quâ Pater cœlestis filios suos æternum beare vult. Dicitur gloria Dei ratione originis non tantum (nam omnis gloria à DEO glorioso est) sed & ratione Termini & finis, consistet enim in intuitione *αὐτοπροσώπια* Dei & ejus Majestatis, quo referenda sunt verba Salvatoris nostri Joh. XVII, 22. Ex quibus sequitur, gloriam hanc non tantum futuram cœlestem, sed omnino divinam, quippe quæ & vocatur filiorum DEI juxta vulgat: quam DEUS Pater filiis adoptivis & gratiæ nomine hæreditatis conferre promisit, talis ergò Gloria digna tantò Patre. Imò quæ certò respectu credentes DEO similes reddat, sicut haud obscure Johannes id innuit 1. Joh. III, 2. Hujus igitur gloriæ justificati spem certam habent, imò gloriationem hujus spei, imò habent jamjam ejusmodi gloriam, saltim plenariam expectant fruitionem, possessionem & revelationem in die extremo. Et hæc de Sectione I. Exegetica sufficiant.

SECTIO II. DOGMATICA.

CAPUT PRIMUM.

§. I. Accedimus igitur peracta analysi verborum Pauli ad ipsas doctrinas è textu fluentes, quæ scilicet nobis ante oculos ponent Effectus Justificationis, quorum Primus est ipsa Justificatio hominis peccatoris coram DEO, de qua quædam dicenda erunt; quamvis de hæc materia uberrimè in omnibus Systematibus, imò integris libris, præsertim à *B. D. Höpffnero in egregio tractatu de Justificatione conscripto*, Disputationibus solidissimis, & à Summè Rev. *Preside* hujus Disputationis, de *Fiaci vitâ & morte*, ut & in Disputatione de *Peccatorum dele-*

deletionem, nec non in *Nucleo Theol.* ut & passim in *Amanitibus Evangelicis*, actum fuit, tamen & nobis licebit, quædam ex oraculis divinis, & Doctorum nostrorum scriptis in medium proferre.

§. II. Justificatio est actio Dei Triunus immanens, quæ ex mera gratia, sine virium, meritorum aut operum humanorum intuitu, peccatores propter Christum ejusque Justitiam activam & passivam, fide apprehensam, & imputatam, in gratiam recipit, ac remissis peccatis justos pronunciat, ad laudem misericordiæ & justitiæ suæ, justificatorumque æternam salutem. vid. *D.D. Maji Synopsis Theol. Symbol. p. m. 99.* *D. Meieri Theol. Fidei p. m. 509.* *B.D. Scharfii Pædiam Theol. p. m. 194.* *B. D. Kunadi Compend. LL. Theol. p. m. 70.* *B. D. Quistorpii Disput. Theol. de Justificat. hom. Peccat. coram DEO ejusq; causis lit. A. 4. B. Chemnit. P. II. LL. p. m. 590. edit. 8vo.* *B. D. Brochmand. Syst. Theol. T. II. p. m. 471.* Fundamentum hujus definitionis in nostro textu, præprimis in vocabulo *δικαιοσύνη* situm est, quippe quod in articulo Justificationis semper significat Justificationem forensam, h. e. absolutionem à peccatis, donationemque justitiæ, cum omnibus justitiæ fructibus & consequentibus: non autem infusionem aliquam justitiæ denotat, quin ejusmodi infusionem justitiæ nusquam etiam extra articulum justificationis dicit. *B. D. Seb. Schmid. Coll. Bibl. Poster. p. m. 214.* Illustris locus est *Cypriani*, vel potius, *Arnoldi Carnotensis*, de Passione Domini differentis: Ecce, ait, plus potuit donum, quam delictum, & gratia, quam peccatum; quoniam ex debito damnationi obnoxios, gratis, sine ullo merito gratia beneficio pietatis absolvit, & judicium imperante Christo, misericordiæ dedit locum, & distinctionis suæ temperamentum justitia, Domino disponente, modestè sustinuit. Siftit hic hominem ex debito, scilicet peccatorum, damnationi obnoxium,

qui coram tribunali Justitiæ divinæ sine ullo merito
 gratis absolvitur à suis peccatis, ut rei gratis absolvun-
 tur, Christo interveniente suo merito, & misericordiam
 DEI homini conciliante. Efficiens igitur nostræ justi-
 ficationis causa est DEUS, DEUS Triunus. In Textu
 absolute dicitur ὁ Θεός, relative ad Dominum nostrum
 Jesum Christum Pater, hinc Filius, & in sequentibus
 etiam mentio fit τὸ πνεῦμα τὸ ἀγίον τὸ ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ. Rom.
 V, 5. Probamus ex aliis Scripturæ Sacræ dictis, ubi Ju-
 stificatio tribuitur DEO Patri, quis est, qui condemnat?
 DEUS est, qui justificat Rom. VIII, 33. confer Galat. III, 8.
 DEUS, qui proprium filium tradidit pro nobis, ipse ju-
 stificat electos, inquit *Origenes* ad Rom. VIII. f. 373. l. 7.
 Filio, per Scientiam sui justificabit justus servus meus
 multos; eò quod iniquitates eorum ipse portavit.
 Esa. LIII, 11. confer Matth. IX, 2. 6. Spiritui Sancto, Ju-
 stificati estis per Spiritum DEI nostri I. Cor. VI, 11. Patri
 tamen propter ordinem Personarum opus Justificatio-
 nis ut plurimum adscribitur. Est autem actio DEI im-
 manens, non transiens uti Regeneratio & conversio.
 Justificatio enim hominis peccatoris coram DEO pro-
 priè & per se nullam realem importat mutationem ex
 parte hominis justificandi, sed moralem tantum quâ
 peccatis propter Christum remissis moraliter justus re-
 putatur vel pronunciat. Præsupponit tamen justi-
 ficatio hominis peccatoris ex parte ipsius mutationem
 realem, quâ scilicet peccatis agnitis & dolens de illis fi-
 dem in Christum Mediatorem concipit, atque adeò ex
 non credente credens fit. Verùm hæc mutatio Justi-
 ficationi non est intrinseca, sed justificationem præce-
 dit, & est ipsa hominis peccatoris conversio ad DEUM.
 vid. *B. D. Meier. Theol. Fid. p. m. 509.*

§. III. Causa Impulsiva est mera DEI Gratia & in-
 exhausta

exhausta ejus misericordia, quâ intime movetur ad remissionem peccatorum, de quâ gratia Apostolus in dicto præsentis agit v. 2. *εις την χάριν ταύτην.* &c. Est autem hæc Gratia, favor & benevolentia non naturalis, quâ Creator res omnes, supremas, imas, medias, maximas à se conditas, ab ipsarum statim incunabulis, communi quadam lege sic complectitur, ut illa quidem quam proximè accedat ad naturam debiti Sap. XI, 25. Gratia quâ primus homo fuit immortalis: cuius virtute Leo rugit, equus hinnit, elephas barrit, anser stridet, philomela cantat, psittacus semifracta verba conatur, singulis speciebus suus vigor, sua fecunditas inest. vid. *B. D. Schmid. Diss. de Regno Grat. §. 22.* Ubi notat stylo Scripturæ gratiam referri ad creaturam, quâ lapsam creaturam rationalem, supra omnia fastigia & conditionem naturæ trahit ad divini summiq; boni recuperationem: Gratia, quæ IN ÆTERNO illo sanctissimoque Senatu, cum de generis nostri salute consilium caperet admiranda Trinitas, auxilium justitiæ misericordiæque temperamento invenit, & Christum Mediatorem dedit: Quæ IN TEMPORE, humanam Christi naturam è mortali massa conditam, ad immortale SS. Trinitatis consortium & in ipsum DEum elevavit, DEum infantilibus membris & humanis infirmitatibus induit, divinis *ἀξιώμασιν & ἀρχήμασιν*, sapientia, potentia, gloria, vita, scientia aliisque opulentia infinitæ thesauris locupletavit: quæ incomprehensibilem *κένωσιν μορφῆς τῆς Θεῆς, & λήψιν μορφῆς δούλου* adornavit: Quæ infallibilem Prophetam nostrum ad mendacium hominum sputa & *ἀμαρτωλῶν εἰς αὐτὸν ἀνπλογίαν*, summum Sacerdotem ad altare crucis, Regem Regum ad vincula & spineam coronam adegit: quæ rursum Pastori & Salvatori nostro dolores mortis solvit, salutisque susceptæ mortalitatis debitis in cælos sub-

sub-

subvexit, & ad Dextram DEI Patris supra omnes orbis
creaturas in immenso folio confidere fecit. Rom. V, 20.
2. Cor. IV, 15. Tit. II, 11. 1. Petr. IV, 10. Rom. V, 17. Eph. I, 6. c.
II, 7. Est enim hinc gratiæ ubertas & opulentia cum in-
terminabili perfectione, perfectio cum plenitudine, ple-
nitudo cum profunditate, est profundissime dives & di-
tissime profunda Gratia. Hinc est GRATIA INCREA-
TA ET ACTIVA, quæ ex ipsa abyſſo divinæ miſericor-
diæ, alluit abyſſum humanæ miſericordiæ, & terminat
in Oceano futuræ gloriæ. Est una & eadem & imper-
miſta plurimis. Summè gratuita & cum debito in Nu-
mine, tum merito in homine oppoſita. Rom. IV, 4 c. XI, 6.
Est enim omnis gratia ſuâ natura aliquid indebitum ſeu
quod in immeritum confertur. vid. pluribus *B. D. Dannbaw.*
Diſp. de Gratia Juſtifica p. m. 9. ſq. Nec ad hoc pretiis aut am-
bitu, aut manu opus eſt, ut hominis ſumma vel dignitas,
vel poteſtas elaborata mole pariat, ſed gratuitum de
DEO munus, & facile eſt, ſcribit *Cypr. Ep. 2.* Nam, idem
ſcribit *Ep. 59.* DEUS, ut perſonam non accipit, ſic nec æta-
tem, cum ſe omnibus ad cœleſtis gratiæ conſecutionem
æqualitate librata præbeat parem. Gratia igitur dici-
tur, quia ſine ullo noſtro merito Juſtificamur: nec in-
fuſa ea eſt gratia; ſed extrinſeca, utpote quæ ABSOLVIT
GRATIS reos damnationis. *Marcion* equidem gratui-
tum hunc DEI favorem calumniabatur, velut inconfans
eſſet DEUS, modo reprobando, modo recipiendo pec-
catores: Sed *Reſp. Tert. L. 2. adv. Marc. c. 23.* nihil tam
bono & judici competit, quam pro præſentibus meri-
tis & rejicere & adlegere: innuens, non inconfan-
tem eſſe DEUM, qui peccatores, ipſorum peccata in-
tuendo ſemper damnet, abſolvat verò, ſi merito Chri-
ſti iſta peccata expientur. *B. D. Bebel. Antiquit. Eccleſ. p. m.*
768. ſeq.

§. IV.

§. IV. Judæi sane ex V.T. quod hanc causam impulsivam Justificationis agnoscere necessum habuerint, probamus dictis Scripturæ S. evidentibus. Daniel, vir desideriorum, Ecclesiæ Judaicæ nomine peccata confessus & deprecatus, petit supplicationes suas exaudiri propter Dominum i. e. Messiam, ac subjicit, non super justitiis nostris (freti illis) deponimus nos preces nostras coram te, sed super miserationibus tuis multis Dan. IX, 17. sq. confer Esa. XLIII, II. 14. 15. 24. 25. 26. ut adeò verissime dixerint Apostoli: per gratiam Domini Jesu Christi Patres in V. T. salvatos esse, nec aliter se in N. T. salutem consequi cupere & sperare Act. XV, II. Gratia igitur hæc opera excludit, unde non male R. *Albo Ikkar. L. IV. Cap. 16. f. 126.* scripsit: esse necessarium & conveniens omnibus hominibus, ne sibi ipsis justus videantur, propterea tamen neminem cessare debere à precibus, quibus necessaria à DEO petat. Hoc enim qui facit, ideò facit, qui credit bona homini à DEO tributa, propter bona sua opera & non ex gratia misericordiaeque divina contingere. Quæ sententia minus rectè se habet. Nam Scriptura dicit (Dan. IX, 18.) non super justitiis nostris &c. sed super misericordiis tuis multis; quia gratia DEI B. & misericordia ejus super omnes creaturas ex gratia prorsus gratuita, non ex merito contingunt. Simili modo in *Catechismo Judi Respon. ad Quest. XIV.* traditur, mediante fiducia homines animabus suis polliceri sibi beatitudinem veram ex gratia erga nos divina, non propter justitias nostras aut bonitatem operum. Cui adjungendus est locus ex *Neve Schalom L. II. Cap. 7.* cujus etiam meminit *Voisnius observ. in Proëm. Pug. f. pag. 163* quemque contulit cum Rom. IX, 15. ubi Paulus electionem DEI gratuitam & non ex operibus debitam probavit ex *Exod. XXXIII, 19.* Ita verò Autoris lib. cit. verba

D habent:

habent: idque fit ex gratia, juxta illud: & miserebor
cujus miserebor &c. ex misericordia pura puta, nullo ad
me habito respectu dignusne sim, an non? *D. D. Maji Syn-*
nops. Theol. Judaic. V. ac N. p. m. 161. sq.

§. V. Circa hanc causam impulsivam errant Pon-
tificii, statuentes, quod gratia illa, quâ justificari dici-
mur, non fit gratuitus DEI favor, sed regenerationis
& renovationis gratuita dona, nobis inhærentia; sive
sanctitas quædam, qualitasque divina, nobis inhærens,
cujus vi & respectu, imò meritò nos à DEO diligimur.
Vid. Conc. Trid. Sess. 6. Can. II. hinc Bellarm. L. 2. de Justific. c. 3.
& 4. expresse dicit: Gratia DEI justificans non est solus
DEI favor, sed donum in anima inhærens. vid. Brocsm.
l. c. p. m. 488. Obj. Rom. V, 18. seq. Quâ ratione in Adamo
injusti sumus, eadem ratione in Christo justi sumus; At
inhærente qualitate in Adamo injusti sumus, Ergò. Resp.
Primo Neg. Maj. secundo Dist. inter principium seu fun-
damentum justitiæ & injustitiæ, & inter modum com-
municationis; comparatio Paulina loquitur tantum de
principio & fundamento justitiæ & injustitiæ, ut justitia
à Christo, ita injustitia ab Adamo, non loquitur de modo
communicationis. Seu quod idem, dist. inter fontem
& amplitudinem utriusque extremi, & modum utriusq;
in nos derivationis, seu inter subjectum collationis &
modum applicationis, subjecta collationis sunt Adam &
Christus, illius inobedientia, & hujus obedientia, quæ
ratione amplitudinis conferuntur. Scopus Apostoli est,
quod saltim monstret fontem & amplitudinem utriusq;
extremi justitiæ & injustitiæ, non verò modum in nos
derivationis, quem non h. l. sed alibi Rom. III. & IV. osten-
dit Apostolus, confert itaque Apostolus rem cum re, non
modum cum modo. Deinde Apostolus loquitur de ac-
quisitione, non applicatione justitiæ, quemadmodum
lapsus

lapsus omnes peccatis involvit, sic Christi justitia potest omnes evolvere. Obj. ulterius: Omne donum DEI est qualitas nobis inhærens. At gratia, quâ justificamur, est donum DEI Rom. V, 15. Ergò. Resp. Maj. esse falsam, sic Christus quoque est donum, nobis enim datus à Patre, nec tamen formaliter inhæret; ita etiam vita æterna vocatur χάρισμα Rom. VI, 23. nec tamen est qualitas inhærens. Deinde Resp. ad prob. Min. χάρισμα, quandoque in Scriptura Sacra accipitur pro donis gratuitis nobis inhærentibus, quandoque notat justitiam & meritum Christi nobis donatum, non priori modo, sed posteriori h. l. vox χάρισμα usurpatur, vid. pluribus B. D. Quistorp. Disp. all. lit. B. 4. Gratia igitur Dei manet Justificationis nostræ causa impulsiva, sed inadæquata, & sola ad movendum DEum, ut peccata nobis condonet, movere non potest: Obstat enim ejus justitia, quæ peccatis nostris læsa satisfactionem validam & sufficientem exigebat, quam quia nemo hominum præstare poterat, Christus Mediator Dei & hominum unicus pro nobis eam præstitit Eph. II, 7. Justificamur quidem gratis, ast per redemptionem factam in Christo Jesu Rom. III, 24. ita enim DEus misericordiæ suæ indulget, ut justitia sua non labefactetur. Hinc ergò perpendenda venit

§. VI. Causa Meritoria Justificationis, quæ est Christus.

Διὰ τὴν χάριν ἡμῶν ἰσθὲν Χριστοῦ, inquit Apostolus v. i. Justificamur gratis ejus gratia per Redemptionem factam in Christo Jesu, Rom. III, 24. sq. Christus factus est nobis à DEO justitia, sapientia, sanctificatio & redemptio, I. Cor. I, 30. confer Matth. XX, 28. I. Tim. II, 5. sq. & quidem ex necessitate, tum quia ita misericors est DEus, ut etiam justus sit, quem proposuit DEus propitiationem per fidem in ipsius sanguine, ad ostensionem justitiæ suæ per remissionem τῶν προηγουμένων ἁμαρτημάτων Rom. III, 25.

nūm quia æterna & immutabilis est veritas comminationis illius Gen. II, 17. & c. III, 3. quare & sine sanguinis effusione esse non potuit peccatorum remissio Ebr. IX, 22. hinc opus erat merito infiniti valoris, quod solus Christus verus DEUS & verus homo præstare poterat, & quidem tota illius obedientia, quâ legem implevit perfectissimè, & pœnas à nobis promeritas in diebus carnis suæ, præcipuè in novissimo & solenni actu passionis suæ usque ad mortem sustinuit, factus pro nobis peccatum, ut nos fieremus in eo justitia coram DEO 2. Cor. V, 21. Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus propter scelera nostra; disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus nos sanati sumus. Esa. LIII, 5. Vide *B. D. Hülfem. Prælect. in F. C. p. m. 561. sq.* Christus igitur meruit nobis justitiam, quæ imputatur. DEUS enim justus est, & justus justificare non poterat injustos, ideò interventum voluit esse propitiatoris, ut per ejus fidem justificarentur, quia per opera propria justificari non poterant, commentatur *Origenes ad c. 3. Rom. Lib. 3.* inuens per justitiam Dei fieri non potuisse, ut sine satisfactione peccata nobis condonarentur: Christum igitur impleta lege, & exantlatis pœnis peccati propitiassè iratum & justum DEUM: Nam cum superius (Rom. II, 24. Eph. I, 7.) dixisset, quod pro omni genere humano redemptionem semetipsum dedisset, ut eos, qui in peccatorum captivitate tenebantur, redimeret, dum sine dolo pro omnibus mortem gustat, nunc addidit aliquid sublimius, & dicit: quia posuit eum DEUS propitiationem per fidem & sanguinem ejus: quo scilicet per hostiam sui corporis propitium hominibus faceret DEUM, & per hoc ostenderet justitiam suam, dum eis remitteret præcedentia delicta, quæ pessimis tyrannis serviendo contraxerant eo tempore, quo sustinebat & patiebatur DEUS
hæc

hæc fieri. Hæc idem. Quibus verbis clarè explicat, quod Chriftus vice noſtri in mortem ſeſe tradiderit, ut illa ipſius mors, à morte nos liberaret, & juſtitia & ſanctitas nobis imputaretur.

§. VII. Meſſiam igitur eſſe Cauſam Meritoriam Juſtificationis noſtræ & Judæi fateri coguntur, quemadmodum omnes fideles omni tempore agnovêre. Sic enim *R. Ikkar* ſcribit, Meſſiam vocari Jehovah Juſtitiam noſtram, ut per illum tanquam mediatorem juſtitiam à Deo conſequeremur, ſeu ſi verbum verbo exprimere velimus, cum fit Mediator Dei, planè ut Paulus 1. Tim. II, 5. dixit, *μεσίτης θεῶν*, ut conſequamur. Prolixius hoc exſequitur & ex iſtituto *R. Alſchech in Comment. ad Jer. XXIII, 6.* ſcribitque, Meſſiam ideò dici Jehovah Juſtitiam noſtram, quoniam influxus Juſtitiae illius & rectitudinis fluat in Iſraëlem cœlitus, & Meſſias fit velut canalis, per quem derivatur & diffenditur in totum populum. Mox clariùs rem explicat h. m. Sicuti DEUS juſtitias effundit, ut purgentur homines probè: ita Meſſias affimilatur Deo B. ejusque nomen vocatur Jehovah Juſtitia noſtra, quia à te derivatur juſtitia noſtra, ſicut ex DEO. Hincque (ex Juſtitia) facere hominem fundamentum omnium bonorum hujus mundi, ac quomodo homines juſti à Meſſia juſtitia appellentur, ſecundum Ef. XLIII, 7. docet. Si, inquit, juſti nomine Dei B. appellantur, quænam Meſſiae præ illis dignitas erit? non enim videtur major alia, vel ſimilis ei. Hujus rei gratia dicitur: & hoc eſt nomen ejus quo vocabitur, Jehova Juſtitia noſtra. Juſti enim ad eum (Meſſiam) dicent: Ecce nos, eò quod juſti ſumus, nomen Domini vocatur ſuper nos. Sed majus eſt nomen tuum, nomine noſtro. Quod enim nos juſti ſumus, fit, quia tu es Juſtitia noſtra, quoniam per te nos influxum ſortiti ſumus, ut juſti appellemur. Propterea

omne meritum, quo vocamur nomine Dei, à te ceu
causa est, quia tu es justitia nostra. vide pluribus *D. D.*
Maji Synops. Theol. Jud. p. m. 157. sq.

§. VIII. Circa hanc causam Meritoriam errant
Pontificii, per operum merita se justificari jactantes.
Sciendum tamen, ut duplicem justificationem statuunt,
primam & secundam, ita etiam duplex meritum ab illis
fingi, de CONGRUO & de CONDIGNO. Justificatio
prima est, quâ ex non justo fit justus, & hanc nos di-
cunt consequi per meritum de Congruo, quod definiunt,
esse, cum quis facit, quod per naturam facere potest.
Nam congruum esse, dicunt, ut DEUS ejusmodi homini
det gratiam, hoc est, ut dona & qualitates novas ei in-
fundat. Justificatio secunda est, quâ ex Justo fit justior;
& hanc nos dicunt consequi per meritum de Condigno,
quod definiunt esse, cum quis ex habitu justitiæ infusæ
operatur. Nam digna esse mercede dicunt bona opera,
quæ faciat homo in exercitio habituum vel qualitatuum
novarum constitutus. Crassissimus sanè error, qui falsa
illa de Justificatione per justitiam inhærentem hypo-
thesi nititur. Quippe non per inhærentem, sed impu-
tatam Christi Justitiam justificamur. Probamus Rom.
IV, 5. 2. Cor. V, 21, & præprimis Phil. III, 6. sq. Argumenta-
mur: Q. non habet suam justitiam, ille habet alienam, qui
hanc, non inhærentem, qui non inhærentem, habet im-
putatam. Objiciunt: Justitia imputata & justitia inhæ-
rens sunt formæ contrariæ. Ergò non possunt esse in
uno eodemque subjecto. Resp. (I) per instantiam per
Rom. VII. tot. Interior & exterior homo diversimodè
contrario NB. respectu variato de eodem homine præ-
dicatur, ubi contradictionem tollit diversus respectus,
homo secundum affectus per gratiam regenerationis,
renovatus, vult bonum, & dicitur bonus, malus secun-
dum

dum statum peccati originalis, quo vult malum. Hinc
limit. Q. sunt formæ contrariæ in uno eodemque sub-
jecto, eodemq; respectu, non possunt esse in uno eodemq;
subjecto: sic negatur Minor. (2) Justitia Passiva & injusti-
tia activa, possunt in eodem subjecto convenire. Injusti-
sumus activè sed justus Passivè propter Christi imputatam
Justitiam. Quemadmodum is, pro quo ab altero solu-
tum est, non ipse solvit activè, sed tantum passivè, qua-
tenus solutio ab alio facta ipsi tanquam à se præstita im-
putatur. Christus solvit absque peccato, quod nos nullo
modo possumus, interim tamen imputatur nobis per
ipsum, ac si nos præstitissemus. (3) Inhærens potius
justitia & inhærens injustitia sunt formæ contrariæ, quia
formæ contrariæ debent esse sub eodem genere. Sci-
licet Pontificii inhærentem injustitiam statuunt, & vice
versa requirunt justitiam inhærentem, quod falsum, una
enim alteram expellit; Quemadmodum summè ebrio-
sus, der allezeit toll und voll ist/ non potest esse temperans,
nam hi affectus simul adesse ulla ratione non possunt;
Sic & injustitia inhærens, & talis justitia non possunt si-
mul, esse benè tamen injustitia inhærens, & justitia impu-
tativa, nam hæ duæ possunt esse sub eodem genere, nec
se mutuò expellunt. Latro in Cruce Luc. XXIII, v. 40.
sq. summam habebat injustitiam inhærentem, minime
verò talem justitiam, denn er wird wenig gute Wercke ge-
than/ als die Menschen todt geschlagen haben/ & tamen
fuit justificatus, & ex injustissimo justissimus factus sci-
licet justitia Christi imputativa. Sic etiam Publicanus
Luc. XVIII, 13. Deinde objiciunt: Hac ratione dici pos-
semus Redemptores & Salvatores mundi, si justitia
Christi per imputationem esset nostra justitia. Resp.
hoc tantum sequitur, nos esse redemptos à mundi Re-
demptore, ac si nos ipsos redemissemus; Sicuti enim
ob

ob justitiam imputatam dicimur Justi NB. Passivè, ita & à redemptione imputata non redemptores activè, sed NB, redempti Passivè appellamur. Objiciunt ulterius: Si per justitiam Christi nobis imputatam verè dici possumus justi & filii DEI, ergò poterit & Christus per injustitiam nostram sibi imputatam verè dici peccator & filius diaboli. Resp. (1) Si peccator h. l. sit ille, qui peccatum IMPUTATIONE habet, non qui peccata facit, Christus eo pacto peccator dici posset, sicuti dicitur peccatum 2. Cor. V, ult. Quod non tantum hostiam pro peccato, sed & imputatum peccatum significat, DEUS enim omnia peccata nostra conjecit in eum. Esa. LIII, 4. ut illa sua peccata fuerint Psalm. XL, 13. sola scilicet imputatione, confer Galat. III, 10. sq. (2) Filius tamen propterea diaboli dici nequit, quoniam is tantum sic dicitur, qui facit opera diaboli Johan. VIII, 44. tanquam filium iræ potuit DEUS Christum aspicere in acerbissima passione, absit verò ut filium diaboli. Christus ergò meruit justitiam perfectissimam, quâ imputata justi coram DEO pronunciamur. Job, inquit *August. T. VII. L. 2. de peccat. merit. c. II.* secundum illam justitiam, quâ se noverat injustum, se vituperavit, mente conspiciens in Christi justitiam, in quo nullum peccatum fuit. Secundum quam justitiam, quæ ex DEO est, etiam Paulus suam justitiam, quæ ex lege est, stercora existimavit.

§. IX. Gratiam DEI & meritum Christi apprehendit Fides, ut causa organica seu instrumentalis, à parte hominis. Causam autem instrumentalem cum dicimus, fatemur, nos minus accuratè loqui, cum causa instrumentalis propriè ea sit, quæ causa principali cooperatur, seu, quæ cum agente suo operatur effectum, sicut ferra instrumentum est in findendo ligno. Atqui fides nihil ad justificationem nostram cooperatur, sed tantum

tantum correlativè se habet ad objectum suum, quod est res justifica, quam recipit, atque ideo simpliciter *ἁποδοχή* receptio vocatur 1. Tim. I, 15. Accuratius igitur loquuntur, qui fidem sese tantum habere dicunt ad modum instrumenti, fiducialiter apprehendendo Christi obedientiam, tanquam rem justificam, quæ, ut per Evangelium oblata, nostra etiam fiat per imputationem, fidem justitiam ad salutem imputabilem apprehendentem requirit, eo modo, quo manus, quâ mendicus eleemosynam apprehendit, nihil ad ipsam eleemosynam confert, vid. B. D. Carpzov. *Isag. in Libr. Symbol. p. m. 206. & Magnif. D. Job. Bened. Carpzov. in Disputat. de non speranda Luther. cum Pontif. & Calv. Unione p. 25.* Fide igitur justificamur *ἐν πίστει*, juxta Textum, sicuti & Paulus dicit Gal. III, 7. 8. 9. aliàs Scriptura Sacra sic loquitur, justificamur *Ἀπὸ τῆς πίστεως*, per fidem, Rom. III, 22. 25. 30. *πίστει*, fide Rom. III, 28. *ἐν τῇ πίστει*, in fide Phil. III, 9. *ἐν πίστει*, 1. Timoth. III, 13. Qua variatione innui putant interpretes, fidem unicè in actu Justificationis spectari, tanquam unicum illud medium & instrumentum, quo gratiam Dei, meritum Christi, & remissionem peccatorum apprehendere & accipere possumus. *Solid. Declar. p. 689.* Hinc ab hoc applicationis officio fidei & proprietate charitas, omnesque aliæ virtutes aut opera penitus excluduntur. *Solid. Declar. p. 691.* Quod Scriptura Sacra dilucidè passim probat iis in locis, quibus particulas exclusivas adhibet, ut sunt hæ passim in Paulo obviæ, absque operibus, sine lege, sine merito, gratis, non ex operibus, Rom. III, 21. 24. 28. c. IV, 6. *εἰ μὴ* Gal. II, 16. nisi, vel tantum, solum, sed &c. quæ omnes hisce verbis comprehenduntur: Sola fides justificat & salvat. Præclarus locus est *Origenis Comment. in Rom. IV. fol. 326.* in verba Pauli: Ubi est gloriatio tua &c. sic commentantis: Dicit sufficere *Solius*

E

lius

ius fidei justificationem, ita ut credens quis *tantummodo* justificetur, etiamsi nihil ab eo operis fuerit expletum. Imminet igitur nobis, qui integram esse Scripturam Apostoli conamur asserere, & ordine suo cuncta constare, ut requiramus, qui sine operibus *Sola fide* justificatus sit. Quantum igitur ad exemplum pertinet, sufficere arbitror illum latronem, qui cum Christo crucifixus, clamavit ei de cruce: Domine Jesu, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Nec aliud quicquam describitur boni operis ejus in Evangeliiis, sed pro hac *Sola fide* ait ei Jesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. Aptemus nunc, si videtur, hujus latronis verba causæ Apostoli Pauli, & dicamus ad Judæum: ubi est ergò gloriatio tua? certum, quia exclusa est, exclusa autem non per legem operum, sed per legem fidei: Per fidem enim justificatus est hic latro sine operibus legis, quia super hæc Dominus non requisivit, quid prius operatus esset, nec expectavit quid operis, cum credidisset, expleret, sed *Sola* confessione justificatum comitemque sibi Paradisum ingressurus assumpsit. Subdit deinde exemplum aliud mulieris pœnitentis, cui Christus ex nullo legis opere, sed pro *Sola fide* ait: remittuntur tibi peccata tua, & iterum fides tua te salvum fecit, vade in pace: Quæ Origenis explicatio eò studiosius observanda est, quod retundat impetum Pontificiorum, calumniantium B. Lutheri versionem Rom. III, 26. sola fide. Nam antiquissimus Pater in eundem sensum Apostoli verba explicavit. Quia autem Pontificii objicere solent, hac doctrina studium pietatis everti, ideò audiant, quid Origenes porrò scripserit: sed fortassis hæc audiens aliquis resolvatur, & bene agendi negligentiam capiat, siquidem ad justificandum *Sola fides* sufficiat. Ad quem dicemus: quia post justifica-

fica-

ficationem, si injustè quis agat, sine dubio justificationis gratiam spremit. Neque ab hoc quis accipit veniam peccatorum, ut rursus sibi putet licentiam datam, indulgentia namque non futurorum, sed præteritorum criminum datur. Innuit, cum gratia & statu justificationis non posse consistere *ωγαίεσιν* peccandi; oportet enim fidem justificam esse vivam: bona opera sunt signa fidei veræ & vivæ: quia qui hæc agit, hic se ostendit credere in eum, qui suscitavit Jesum Dominum nostrum à mortuis, & huic vera fides reputatur ad justitiam. Neque enim possibile est, ut habenti in se aliquid injustitiæ posset justitia reputari, etiamsi credat in eum, qui suscitavit Dominum Jesum à mortuis. vid. *Orig. f. 336.* quibus verbis docet, fidem justificantem consistere non posse in eo, qui peccatis dominatum permittit, & scelera securè perpetrat.

§. X. Habemus hic adversarios præprimis Pontificios, antequam verò ad exceptiones respondemus, prænotandum est: quod Pontificii semper confundant articulum de Justificat: & Sanctificatione, hinc probè notandum est de fide justificante, quod consideretur in Justificatione ut *apprehendens* meritum Christi, & quatenus solam misericordiam Dei Patris respicit, qui propter meritum Filii sui peccata remittit. In *Sanctificatione* verò *fides* consideratur quatenus *producit* bona opera, quæ justificatum sequuntur, non præcedunt. Duplex igitur fidei *εὐσέγεια* est: *Primaria*, qua misericordiam in Christo fundatam respicit, Christique justitiam sibi applicat: *Secundaria*, quæ charitatis opera producit. Illa perfecta, hæc imperfecta, quia perfectè quidem justificamur, sed non perfectè renovamur in hinc Vita: Hujus enim vitæ sanctitas tantum *inchoata* non *consummata* est, *I. Cor. XIII, 9. sq.* per illam homo præditus est justitia

imputativa, per hanc inhærente. Priorem ἐνεργειαν
 Theologi *Apprehensivam* vocant, posteriorem verò *Ope-*
rativam & Effectivam. Deducunt verò ex verbo DEI,
 fidem non ἐνεργητικῶς, sed ληπτικῶς, justificare, vide *B. D.*
Scherzer. System. Theol. p. 431. sqq. ubi argumentum invictum
 sumfit ex Rom. II. & III. Gal. II, 16. Jam ad exceptiones
 Pontificiorum nos convertamus. Primaria hæc est,
 vident nimirum Pontificii solam fidem justificare se-
 cundum dicta Scripturæ S., quare confingunt geminam
 justificationem, (1) quæ soli fidei, & (2) quæ etiam ope-
 ribus tribuatur. Fundamentum hujus exceptionis quæ-
 runt Apoc. XXII, 11. Resp. à particula continuativa ad
 multiplicativam non valet consequentia, particula AD-
 HUC justificationi addita, justificationem non geminat,
 sed continuat. Si enim justificationem primam & se-
 cundam particula hæc justificationi addita inferret,
 etiam inferret sanctificationem primam & secundam
 sanctificationi addita, sorditiem primam & secundam.
 Eadem ratione τὸ adhuc vivens Matth. XXVII, 63. vi-
 tam primam & secundam, τὸ adhuc esse Luc. XXIV, 6.
 esse primum & secundum, τὸ adhuc non credere l. c. v.
 41. incredulitatem primam & secundam inferret. Dein-
 de objiciunt connexionem fidei & operum in Scriptura
 Sacra, & concludunt, fidem non solam justificare, sed
 Resp. à connexionem ad cooperationem non valet conse-
 quentia, etsi simul sint fides, spes & charitas atque bona
 opera interna, *sola* tamen *fides* justitiam Christi appre-
 hendit, sola justificat fides, licet non sola existat. Sic
 oculi non sunt sine aliis membris corporis, reliqua ta-
 men membra non vident, sed soli oculi. Instant ulte-
 rius ex multis dictis Scripturæ: DEum nobis esse red-
 diturum secundum opera, ergò bona opera ab actu
 justificationis non esse excludenda. Sed Resp. (1) red-
 det

det DEUS *præmia* secundum opera, non propter opera. Dico præmia gloriæ, non ipsam vitam æternam essentialiter, arguo enim: Q. secundum inæqualia opera redditur, illud recipit magis & minus, adeoque habet gradus. Atqui merces juxta loca, quæ nobis opponuntur, secundum inæqualia B. O. redditur. E. merces illa habet gradus. Porrò: Q. intenditur secundum gradus, illud non est vita æterna essentialiter considerata, quia hæc non suscipit magis & minus. Atqui merces secundum B. O. &c: Ergò. (2) Aliud igitur est secundum opera reddere, aliud secundum *merita operum* seu propter opera, nach dem Wercken geben/ heist/ einem geben/ wie eines jeden Wercke seyn werden / auf gute Wercke Gutes aus Gnaden / auf Böses bösen Lohn aus Verdienst. Apoc. XXII, 12. τὸ Secundum opera *Qualitatem*, τὸ propter opera verò *causam* mercedis infert. Sensus igitur est, DEUS unicuique reddet mercedem pro *qualitate* operum, si B. O. bona merces ex gratia, sed non propter ea, si mala opera, etiam mala merces ex merito propter ea, confer Luc. XVII, 10. nam B. O. sunt debita & imperfecta, mala verò opera indebita & perfecta. Plura vide ap. B. D. Broehm. T. II. Syst. Theol. p. m. 527. sqq. Magnif. D. D. Beehm. Theol. Polem. p. m. 906. sqq. Remittimus etiam B. Lectorem ad Systemata Theolog. ubi inveniet, quæ de causa formali & finali Justificat: dicenda essent, nam omittenda putavimus, quia expressè in textu non continentur.

CAPUT SECUNDUM.

§. I. Progredimur nunc ad alterum effectum Pacem nimirum Justificatorum cum DEO. Verba textus sic fonant: εἰρήνην ἔχομεν πρὸς τὸν Θεὸν διὰ τὰ κρῆς ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Est autem Pax illa cum DEO nihil aliud,

quam certissima confirmatio conscientiarum de jam-
jam in justificatione accepta & donata gratia divina &
reconciliatione. Vel: Est actio dulcissima Domini no-
stri Jesu Christi & Spiritus ejus in cordibus fidelium,
quâ illis gratiam DEI, remissionem peccatorum & ju-
stitiam plenè obfignat, saucian. & perturbatam conscien-
tiam tranquillat, ab omni servili timore liberat, contra
terrores satanæ, & furores mundi solatur, & in seipso
requiem animæ invenire finit. Consentit nobiscum
Flacius in Clave Part. I. p. m. 862. scribens: Primum vox
Pacis significat pacem cum DEO, cum & DEUS nobis
ex severo judice & hoste, fit benignus ac placatus Pa-
ter, Rom. V, 1. Col. I, 20. & nos vicissim tranquillo ami-
coque erga eum animo sumus, non timentes ac odio
habentes eum, ut crudelem nostrum carnificem; Sed
Spiritu, Abba Pater, clamantes, ac denique non am-
plius conscientiam sentientes accusantem, & cor trepi-
dans; non etiam pristinam potentiam ac tyrannidem
Satanæ, & veteris Adami in nobis præpotentis. Quæ
pax nobis post justificationem contingit, dicente Paulo:
Justificati fide pacem habemus. Et *B. D. Balduinus Com-
ment. in b. l. p. m. 96. edit. in fol.* Intelligit pacem spiritua-
lem & cœlestem, quæ consistit in tranquillitate animi,
nihil metuentis adversi, nullam vindictam aut conde-
mnationem; ideò vocat pacem apud DEUM, quæ est
primus effectus justificationis, oppositus tentationi de
ira DEI. Alter effectus est accessus ad DEUM, apposi-
tus tentationi de mutabilitate. Ex agnitione enim ex-
hibitæ benignitatis & gratiæ DEI, initæque reconcilia-
tionis, oritur tranquillitas mentis & conscientiæ Rom.
V, 1. hinc verò accedente Spiritus S. gratiâ consequitur
affectuum moderatio & debitus ordo, ne turbent, &
mentem in diversa abripiant. *D. Calixtus Senior in Concord.*
Evang.

Evang. l. 6. c. 3. p. m. 339. Causa igitur efficiens & merito-
ria hujus pacis est Dominus noster Jesus Christus ceu
apertis verbis Apostolus indicat, & in descriptione, esse
actionem dulcissimam Domini nostri Jesu Christi. Quid
enim dulcius & suavius esse potest hac pace? Pax ter-
rena res dulcissima, tantum pacis bonum est, ut etiam
in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius soleat
audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo
melius possit inveniri. *August. L. XIX. de Civ. DEI Cap. XI.*
p. 500. Quid hominibus ex iis rebus, quibus frui atque
potiri student, vita pacifica dulcius est? Quodcunque
nominaveris ex iis rebus, quæ res in vita suaves & jū-
cundæ sunt, pace opus habet ad hoc ut jucundum sit.
Gregor. Nyss. Lib. de Beatitud. p. 78. Si igitur tanta dulcedo
in pace terrena, quanta erit in pace DEI cum justifica-
tis? O cara pax! dulcis & res & appellatio, quam nunc
populo dedi ac vicissim accepi, haud scio, num ab omni-
bus Germanam Spirituque dignam vocem, nec utrum
fœdera publica DEO teste inita violentur, ut gravior
nostra condemnatio sit: O cara pax meditatio mea!
meum ornamentum, quam DEI audimus esse, cujus
DEum audimus esse DEum, quam denique audimus
DEum ipsum esse: verbi gratia, quum dicitur: Pax
DEI, & DEus ille pacis, & ipse nostra pax est, quanquam
ne sic quidem eam revereamur. *Gregor. Nazianz. Orat. X.*
de Pace p. 297. Cum igitur tam dulcis res sit Pax Spiri-
tualis justificat: cum DEO, quid mirum! Si

§. II. Autor ejus est Jesus dulcissimus, annotante
Apostolo in textu. Vocatur aliàs ab eodem Apostolo
pax nostra, & quod pacem fecerit Eph. II, 14. 16. ex quâ
pace facta & fiducia & gaudium in cordibus fidelium
& justificatorum oritur. Unde à DEO Patre nostro, &
à Domino Jesu Christo Pax illa rogatur, & aliis optatur
Rom.

Rom. I, 7. I. Cor. I, 3. Eph. VI, 23. Pax inter insignia dona, quæ Salvator noster adduxit, & homines acceperunt, excellentissimum est, quam reliquit, quasi testamento legatum credentibus: Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis Joh. XIV, 27. Novi Testamenti bonum. Regnum enim DEI est Justitia & Pax, & Gaudium in Spiritu Sancto Rom. XIV, 17. Creans fructum labiorum, pax, pax, longinquo & propinquo, dicit Dominus Esa. LVII, 19. suavissima longè res, quam jucundi sunt super montibus pedes evangelizantis, audire facientis pacem, Esa. LII, 7. Rom. X, 15. ferent montes tempore Messiaë pacem populo, & colles in justitia. Psal. LXXII, 3. multa pax filiorum tuorum ô Ecclesia Nov. Test. Esa. LIX, 13. Quippe talem pacem Salvator noster merito suo acquisivit omnibus hominibus, credentibus in eum verò tantum applicat: Qui pacem fecit per sanguinem crucis suæ, per seipsum, sive ea, quæ super terra, sive ea, quæ in cælis. Col. I, 20. Ipse enim Dominus Jesus est Pax nostra, qui fecit ex ambobus unum, & intergerini parietis septum solvit. Dum inimicitiam per carnem suam, legem scil. præceptorum in dogmatibus abrogavit, ut duos crearet per se in unum novum hominem, faceretque pacem. Atque sic reconciliaret ambos in uno corpore DEO per crucem, occideretque inimicitiam per illam. Unde venit, & Evangelizavit pacem vobis, qui procul (aberatis) & iis, qui prope (erant) Eph. II, 14. seqq. hinc dicitur $\kappa\upsilon\epsilon\iota\sigma\tau\omicron\varsigma$ $\tau\eta\varsigma$ $\epsilon\iota\eta\eta\upsilon\sigma\iota\varsigma$ $\nu\eta\varsigma$, 2. Thess. III, 16. & $\acute{\omicron}$ $\theta\epsilon\omicron\varsigma$ $\tau\eta\varsigma$ $\epsilon\iota\eta\eta\upsilon\sigma\iota\varsigma$, I. Thess. V, 23. Egrege de hoc Autore pacis Petrus Chrysol. Serm. 149. pag. 131. loquitur: Hodie Christus, qui est Rex Pacis, cum sua pace procedens, fugavit omne diffidium, dissensiones depulit, discordiam perturbavit, & sicut cælum splendor solis, ita Ecclesiam fulgore pacis illuminat. Per
Christum

Christum igitur pacem habemus, in Christo solâ
pax est, extra vero illum nil nisi bellum, rixæ & dis-
sidia.

§. III. Subjectum Cui est quilibet justificatus verè in
Christum Principem pacis-credens. Justificati igitur pa-
cem habemus &c. Ethnici non gaudent hac pace, quia
non credunt in pacis fontem Jesum Christum; nec ii, qui
per bona opera justificari sese contendunt; nec qui Sal-
vatorem non agnoscunt pro omnibus hominibus satis
fecisse ex intentione ac consilio DEI. Pacem equidem
mundanam imò alia bona temporalia tales homines à
DEO benignissimo accipiunt. Imperium & terror cum
ipso est, faciens pacem in excelsis suis. Num est nu-
merus turmis ejus? & super quem non surgit lux ejus?
Job. XXV, 2. sq. confer Matth. V, 45. Sceptra & Regna
confert tam impio Jeroboamo, quam pio Josiæ; Divi-
tias largitur tam impio Nabali, quam pio & fideli Abra-
hamo; ast pacem spiritualem soli justificati fide acci-
piunt, nam credendo, & in DEum fidendo, pacis ac
tranquillitatis conscientia participes redduntur, testante
id Apostolo Petro, dicendo: Gratia vobis & pax au-
geantur in cognitione DEI & Jesu Domini nostri 2. Pet.
1, 2. Sensus est: Gratia & pax vobis multiplicetur per
fidem, quæ est salvifica DEI agnitio, & quem ille misit,
Salvatoris nostri Jesu Christi. Fides enim, sunt verba
B. D. Gerhardi Comment. in b. l. p. m. 21. per quam DEum
& ejus Filium Salvatorem nostrum Christum Jesum
agnoscimus, est salutare illud medium, per quod gra-
tia divinæ participes reddimur, & in gratia stamus ac
conservamur, ex quâ etiam pax cum DEO, & tranquil-
litas conscientia nobis obtingit. Fides est propinquum
illud organum, quod cum Christi justitia cohæret

F

pro-

proximè, & ex fide proximè fluit animi tranquillitas
& pax. Vid. *Rönig Theol. Posit. §. 561.*

§. IV. Forma hujus pacis consistit in obfignatione
& confirmatione certa acceptæ jam in Justificatione
Gratiæ DEI, remissionis peccatorum & justitiæ. Homo,
qui legem DEI transgreditur, non tantum odit legem,
sed & ipsum legislatorem, & ita in inimicitia erga DEum
vivit, ejusque justitiæ & judiciis maximè infensus est.
Quando verò ductu Spiritus S. ad agnitionem peccato-
rum venit, veram pœnitentiam agit, & in DEI miseri-
cordiam meritumque Salvatoris unicè confidit, audit
vocem reconciliationis: Peccata tibi remissa sunt, non
morieris, sed vives, tunc odium erga DEum deponit,
amorem è contrario induit, & læto animo totus fertur
in DEum vid. *Psal. LI, 1. sq.* Nam accepta justificatione
obfignantur credentibus Gratia DEI, remissio peccato-
rum & justitia, hinc læta fit conscientia justificati, audito
enim verbo reconciliationis, demum agnoscit summam
DEI erga se dilectionem, recipit per Spiritum S. qui per
verbum est efficax, novos motus in corde, ut DEum
fervili timore non vereatur, sed filiali eoque reciproco
amore complectatur, omnemque spem in eo ac fidu-
ciam reponat, totoq; corde in eum recumbat. Quando
pax DEI adest in corde, tum homo fortis est, ut neque
adversis frangatur, neque prosperis extollatur, sed re-
gia incedat via. Accipit enim efficaciam in victoria
mortis Christi, & fiducia ejus incipit in conscientia do-
minari supra peccatum & mortem, quia per eum habet
remissionem peccatorum certam, quâ accepta, acquie-
scit conscientia, & verbo gratiæ erigitur. Ideò non erit
pax ossibus meis & tuis, nisi audiamus verbum gratiæ,
& constanter & fideliter huic innitamur, tum conscien-
tia certo consequitur pacem *B. Lutherus T. V. Lat. Opp. p.*

m. 279.

m. 279. Hæc pax est, quæ exspoliat hominem servitute, dat nomen ingenuum, mutat cum conditione personam, ex famulo liberum, filium facit ex servo, DEum patrem vocat, amicum facit ex DEO, Patrem ex Domino. *Augustus Serm. 169. de Tempore.* Adjunctum pacis hujus est: occultatur hæc in cordibus fidelium, nec pari gradu aut semper sentitur, cujus rei causa est fidei infirmitas, gratiæ DEI invisibilitas, Satanæ perversitas pios tentantis, carnis nostræ quotidie peccantis imbecillitas. Vid. *B. D. Chemnit. Diss. de Tentationibus Spiritual. lit. G. D. Wegner. Exercit. Theol. de Pace DEI p. m. 56. sqq. B. D. Lütken. Vorschmack göttlicher Güte p. m. 530.*

§. V. Proprietates hujus pacis sunt, quod sit (α) Res præstantissima & vera pax. Nil præstantius pace Christi, quâ frangitur aboleturque omne bellum tam aëriorum quam terrenorum Spirituum *Ignat. Epist. 14. ad Ephes. Ἀληθὴς εἰρήνη, ἢ πρὸς Θεὸν εἰρήνη,* inquit *Theodoret. in Psal. CXXVIII.* Nihil nos juvat, si cum omnibus pacificè vivamus, adversus DEum autem bellum geramus. Sic nec nobis obest quicquam, si ab omnibus oppugnemur, siquidem cum DEO pacem habeamus, sunt verba *Chrysof. Hom. I. m. 1. ad Corintb. p. 247. Ἀντημόνη εἰρήνη, ὡς τῆς προσκεύσεως ἡμᾶς ἀπαλλάττεσσι, καὶ τῆς ἐχθρῆς τῆς πρὸς τὸν Θεόν.* *Oecumenius in 2. Petr. I. p. 169.* Hæc nimirum pax cum DEO, sola pax est, ut quæ nos liberat ab offensione & inimicitia DEI. Volumus & nos pacem. Et non solum volumus, sed & rogamus. Sed pacem Christi, PACEM VERAM, pacem sine inimicitis, pacem, in qua non sit bellum involutum, pacem, quæ non ut adversarios subjiciat, sed ut amicos jungat. *Hieron. Epist. 62. ad Theophil.* Altera proprietas (β) quod sit constans, & duret etiam mediis in adversitatibus, inquietudine, cruce, imò morte ipsa, semper in Christo fidelis habet pacem,

licet in mundo habeat anxietates Joh. XVI, 33. Pax à Christo data, firma est, immobilis, solida, constans, perpetua & finis expers. Egregiè de hac proprietate pacis loquitur *Basilius M. in Cap. IX. Esa.* Propterea pax ejus nullo clauditur fine, quoniam etiam donum est cœleste, & mundo superius. Si enim è mundo esset, utique unam cum mundo constitutionem haberet, id est, eandem durationem. Nunc autem quisquis ipsius pacem accepit, eamque servat ac tuetur, in æternum illis perfruetur bonis, quæ à pace promanant. Salomonis pax præscriptis annorum circulis finem accepit: quæ autem à Domino datur pax, omni coextenditur ævo. Vide & de hac proprietate *D. Wegner. cit. Disp. p. m. 71.*

CAPUT TERTIUM.

§. I. Sequitur nunc novus effectus justificationis, nempe Accessus ad DEUM fiducialis fide in Christum ad illam gratiam in qua stamus. Commodè hic accessus dici potest Jus semper ad DEUM accedendi, in certitudine gratiam ejus adipiscendi, & in omni necessitate & tribulatione ad ejus auxilium confugiendi. Hic accessus pænè totum statum N. Test. in se comprehendit, gloriam & dignitatem, populo DEI adventu Christi in carnem collatam. Egregiè describitur ab Apostolo: Accessistis ad Sionem montem, & civitatem DEI vivi, Hierosolymam cœlestem, & myriades, Angelorum scilicet congregationem. Et Ecclesiam primogenitorum in cœlis descriptorum, & Judicem DEUM omnium, & spiritus justorum consummatorum. Et N. T. Mediatorem, & sanguinem asperfusionis meliora loquentem, quam Abelis. Videte, ne detrectetis loquentem &c. Ebr. XII, 22. sqq. confer Col. I, 12. Imprimis est accessus ad illam GRATIAM, quâ *παρρησια* habemus justè ad Deum propin-

propinquandi, & ab eo, quicquid nobis ad vitam & salutem opus est, libere petendi cum certitudine exauditionis. Hinc vocatur accessus seu aditus fide in gratiam hanc, ad gratiam justificationis & salvationis, ad illam gratiam, per quam pacem apud DEum habemus. Rom. V, 1. hinc Apostolus Paulus ad usum hujus accessus fideles & credentes admonet: accedamus itaque cum confidentia seu fiducia throno gratiæ, ut accipiamus misericordiam, & gratiam inveniamus in opportunum auxilium Ebr. IV, 16. accedamus cum vero corde in fiducia fidei, aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aquâ munda. Ebr. X, 22.

§. II. Accessus hic patet justificatis ad totam SS. Trinitatem, siquidem simpliciter DEI mentio fit in textu, accedunt ad DEum Patrem in Filio per Spiritum Sanctum. Propter peccatum enim Protoplastorum & nostram propriam injustitiam aditus ad DEum præclusus erat: Emisit hominem Jehovah DEUS ex horto Eden, ad colendam terram, unde sumtus erat. Quinque expulisset hominem, habitare fecit ab oriente horti Edenis Cherubim, & flammam gladii hinc inde vertentis se ad custodiendam viam ligni vitæ. Gen. III, 23, 24. Imò Adam ipse post lapsum à DEO fugiebat: cumque audirent vocem Jehovah DEI, ambulantis in horto tempore auræ diei: occultavit se homo, & uxor ejus (ex timore) coram Jehovah DEO, in medio arborum horti Gen. III, 8. Ita & hodierno die est: Iniquitates vestræ fuerunt dividentes inter vos, & inter DEum vestrum; & peccata vestra absconderunt facies ejus à vobis. Esa. LIX, 2. Nunc verò cum reconciliati sumus DEO per mortem Filii ipsius Rom. V, 10. non amplius timemus, nec à DEO fugimus, sed cum fiducia ad eum accedimus. Quam felicem se esse reputabat Abschalomus,

iterum ad Patrem suum venire & facies Regis videre
licentiam acquisiverat? 2. Sam. XIV, 1. sq. multo major
est hæc gratia, quâ nos rei mortis & æternæ damnatio-
nis intercessione Principis Pacis ad Patrem cœlestem
accedere, atque ejus gratiam consequi possumus. Multo
gloriosior est hic accessus, qui fit ab homine, qui est
vermis, & filio hominis, qui lumbricus. Job. XXV, 6.
Et talis vermis imò pulvis & cinis Genes. XVIII, 27.
cinis peccaminosus habet aditum ad illum beatum
& solum potentem DEUM, qui solus habet immor-
talitatem, lucem inhabitans inaccessibilem, 1. Timoth.
VI, 15. sq. & in cujus conspectu Sancti etiam Angeli
facies tegunt. Esa. VI, 2. Est accessus hominis pecca-
toris miseri, qui propter peccata sua & merita à facie
DEI in æternum abjectus esse debebat. Est accessus
præprimis filii deperditi ad Patrem placatum Luc. XV,
18. sqq. Ante reconciliationem Christi Domini nostri
in sanguine ejus factam, DEUS Judex iratus & justus
erat, hostis omnium peccatorum, ad quem nemo tutus
accedere debebat: extimuerunt in Zijone peccatores,
apprehendit tremor hypocritas, (dicentes) quis mane-
bit nobis coram igne comedente? quis manebit nobis
coram focus æternitatis iræ DEI? Esa. XXXIII, 14. Re-
conciliatione verò facta & consummata DEUS factus est
Pater misericordissimus, & vos, qui quondam abalie-
nati eratis & hostes mente in operibus malis. Nunc
tamen reconciliavit in corpore carnis suæ per mortem,
ut sisteret vos sanctos & inculpabiles coram se. Col. I,
21. 22. nunc DEUS non tantum est Pater Domini nostri
Jesu Christi, sed & noster Pater, dicente ipso Christo
Joh. XX, 17. quanta est hæc dignitas! hinc dilectus Jesu
discipulus admiratione plenus exclamat: Videte, quan-
tam dilectionem dederit nobis Pater, ut filii Dei vocemur!

mur! propterea mundus non cognoscit nos, quia non cognoscit ipsum I. Joh. III, 1. jam justificati, quando ad Deum accedunt, eum ut Patrem invocant, sicut & Salvator ipsos docuit Matt. VI, 9. Pater mi, vocabitis me, inquit Jehovah Deus Jer. III, 19. quia autem estis filii, emisit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem, Abba, Pater, Gal. IV, 6. quam ineffabilis est hæc felicitas! quod justificati accessum habeant, non ut amicus ad amicum, vel ut is, qui singulari gratia Regis vel Principis dignatur, ad Regem vel Principem, sed ut filius ad dilectum Patrem suum. Et hunc accessum justificati acceperunt.

§. III. Per Christum ceu Apostolus in textu demonstravit, διὰ δὲ, scil. τῆς κρείττης ἡμῶν ἰστοῦ Χριστοῦ, quippe qui non tantum passione & morte sua hunc accessum promeruit, sed & jus & facultatem adeundi justificatis concedit. Ego sum via, & veritas, & vita: nemo venit ad Patrem nisi per Me, inquit Salvator ipse Johan. XIV, 6. Solus enim Christus homines peccatores cum Deo, & Deum cum peccatoribus reconciliavit, hinc Apostolus Paulus hunc accessum cum reconciliatione immediate connectit; Christus Jesus est pax nostra, dum inimicitiam per carnem suam abrogavit; atque sic reconciliaret ambos in uno corpore Deo per crucem, occideretq; inimicitiam per illam, per illum igitur habemus accessum utique in uno Spiritu ad Patrem Eph. II, 14. sq. per hanc ergo reconciliationem Salvator noster largitur credentibus aditum ad Patrem, absque hac nullus viventium accessum ad Deum habere poterit. Tunc erit magnus scus ejus ex ipso, & dominator ejus è medio ejus exhibit, ac *appropinquare* faciam eum, & *accedet* ad me: quis namque est ille, qui despondit cor suum ad *accedendum* ad me? dictum Jehovah, Jer. XXX, 21. Apostolus

Stolus Petrus expresse hunc accessum ad Deum inter
fines & fructus Passionis & mortis Christi refert, di-
cendo: Quia etiam Christus semet pro peccatis passus
est, justus pro injustis, *ὅτι ἡμεῖς ἁμαρτωλοὶ καὶ ὀφειλοὶ*, ut nos
adduceret Deo I. Petr. III, 18. Deinde Dominus noster
Jesus præ nobis accessum habet ad Patrem non tantum
ut Filius ejus unigenitus, sed ut Redemptor generis hu-
mani & Mediator inter Deum & homines, hinc parat
justificatis viam ad Patrem veniendi, & intercedit pro
illis Rom. VIII, 34. virtute hujus intercessionis credentes
aditum ad Deum consequuntur, testante Paulo: Hic
verò (Sacerdos in æternum Jesus) propterea quòd ma-
net, non transiens habet Sacerdotium. Unde etiam
salvare ad perpetuum potest *accedentes per ipsum* Deo,
semper vivens ad intercedendum pro ipsis Ebr. VII, 24.
25. Habentes igitur, fratres, fiduciam in introitum San-
ctorum in sanguine Jesu. Quam initiavit nobis viam
recentem & vivam, per velum, hoc est, carnem ejus.
Et Sacerdotem magnum super domum Dei. Acceda-
mus cum vero corde &c. Ebr. X, 19. sqq. Per Christum
accessum habemus, quia per illum ejusque meritum fi-
dem salvificam accipimus, quæ fides, quasi pes animæ
est, quo ad Deum itur. Credere enim oportet acce-
dentem ad Deum Ebr. XI, 6. per Christum fiduciam
in Deum sperandi nanciscimur, & *παρρησίαν* omne ne-
cessarium ab Eo efflagitandi; In quo, scil. Christo Jesu
Domino nostro, habemus loquendi fiduciam, & acces-
sum in confidentia, per fidem ejus Eph. III, 12. Qui per
Ipsam creditis in Deum, qui suscitavit ipsum ex mor-
tuis, & gloriam ipsi dedit, ut fides vestra & spes sit in
Deum I. Petr. I, 21. quam fidem Apostolus iterum à parte
justificatorum tanquam causam organicam requirit.
Fides enim aperit oculos mentis, ut justificati Jesum, ut
viam

viam ad Deum Patrem cognoscere, & per illum in æternam gloriam pervenire, possint; oculis fidei cernunt credentes cœlestem Canaan, ceu Moses terrestrem. Deuter. XXXIV, 1. cœlos apertos ceu Stephanus Actor. VII, 56. Hæc fides facit Justificatorum linguam loquentem, & cum fiducia desiderium animæ coram Deo proponentem cum certa spe exauditionis.

§. IV. Cum igitur semper liberum ad Deum per Dominum Jesum Christum habeamus accessum, non opus est invocatione & intercessione Sanctorum demortuorum; Errant igitur Pontificii circa hunc effectum justificationis, abutentes dicto hoc Paulino, dicendo: Si nemo solus & ex sua dignitate ad DEum accedere potest nisi ab alio deducatur, nobis licebit sanctos invocare, eorumq; intercessione ad DEum appropinquare. Verùm Resp. licet concedamus, neminem ex sua natura & propter peccata dignum esse, qui ad Deum accedat; sed opus illi esse aliquo Ductore, negamus tamen hoc officium Sanctis competere, quippe quibus Deus non mandavit, Paulus vero in textu apertis verbis demonstrat Ductorem justificationum ad Deum nempe Dominum nostrum Jesum Christum, eumq; solum, nam illius soli fit mentio exclusis omnibus sanctis. DEus Pater hunc suum unigenitum Filium Mediatorem & Intercessorem inter Deum & homines constituit, & per illum semper & omni tempore in omnibus necessitatibus accessum ad Deum habemus. Egregie in hanc rem loquitur B. noster Lutherus T. VIII. Altenb. f. 900. b. Wahr ist's/ wir sollen einer dem andern ehren/ und für Gottes Kind halten/ dasselbe solten wir denen Heiligen auch thun/ aber daß ich mich also demüthigen wolte/ nicht für Gott treten/ sondern einen Heiligen zu einem Mittler stellen/ das sol ich nicht thun. Dann durch Christum habe ich gleich so wol einen sichern Zugang zum Vater/ als S. Peter oder Paulus/

G

lus/

probrs

lus/ ob sie reicher im Glauben gewesen sind/ denn ich/ da liegt nichts an/ denn ich habe gleich als wol den Christum/ das Blut/ den Zugang/ die Kost/ als sie. Ferner: Christus ist allein/ der für uns redet und vertritt. Dieweil wir gerechtfertiget sind/ so haben wir Friede/ und einen sichern Zugang zu G-ott/ durch Christum und durch sein Blut/ also ist uns Christus hier zu einem Mittler gestellt/ wenn ich das nicht thue/ sondern ein ander Mittel suche/ so thue ich Christo eine Unehre/ und seinem Blute eine Schande auf. Stat igitur firmissima talo enunciatio Apostolica: Per Christum habemus accessum ad Patrem in fide. Vide præter Doctores Systemat. Magnif. D. D. Hanneken. de Vera August. Conf. æstimat. ejusq; charact. Symbol. p. m. 311. sq. B. D. Friedlieb. Florileg. Theol. P. I. p. m. 905. sqq.

CAPUT QUARTUM.

§. I. Sequitur tandem juxta dictum Apostoli ultimus effectus justificationis, nempe, Spes futuræ gloriæ seu Certitudo salutis æternæ. Communis effectus salutaris pœnitentiæ & justificationis (sunt verba B. D. Hülsemann. Prælect. in Form. Conc. p. m. 513.) est Certitudo cognitionis five relativa quoad nos, de reconciliatione apud Deum impetrata. Deleri enim quia scimus peccata per pœnitentiam Act. III, 19. ideoque lætari possumus ob remissionem peccatorum per pœnitentiam impetratam, quod de Cornelio ejusque familia dicitur Actor. X, 44. 45. XI, 14. 15. 18. & Effectus pœnitentiæ Corinthiorum dicitur gaudium ob impetratam remissionem 2. Cor. VII, 9. 11. 13. Qualis certitudo de præsentis remissione peccatorum, five præsentis statu in gratia Dei, adeò est necessaria. ut nulla existat Justificatio hominis, nisi correlatum habeat certitudinem cognitivam ex parte hominis credentis, quod exemplo Abrahami, ad instar omnium credentium propositi ex Rom. IV, 18. sqq. aliorumque justificatorum qualitatibus propriis

propriis prolixius demonstratur apud *B. Gerbard. in Loco de Justif. §. 81. sqq. B. Meisner. Antbrop. P. III. disp. 9. 10.* Ubi autem certitudo hæc cognitiva est de impetrata reconciliatione apud Deum, ibi & necesse est certitudo salutis æternæ seu spes futuræ gloriæ, nam ubi est remissio peccatorum, ibi & vita & salus æterna. De quâ certitudine Apostolus in textu egit, dicendo: gloriamur super spe gloriæ &c. Certitudo in genere apud Theologos nihil aliud est, quam quædam assensûs firmitas, quâ quis rei propositæ citra dubitationem & oppositi formidinem assentitur, eique ut certò cognitæ tenaciter & firmiter adhæret. Si igitur hanc descriptionem ad certitudinem salutis applicamus, apparebit, illam non esse moralem, experimentalem, probabilem vel conjecturalem, multò minus talem, quæ in vana persuasionem consistat nulli innixa fundamento, sed verè divinam, solidam, infallibilem, cui falsum subesse non possit, & quæ dubitationem, formidinem & anxietatem omnem penitus excludat, non tamen absolutam illam sed hypotheticam esse sciamus, sub ea nimirum conditione, si ad vitæ finem usq; homo perseveranter in fide maneat. Hinc porrò manifestum est, neminem nisi solum fidelem hac certitudine gaudere, nam si sola fides manus illa est, quæ divinas promissiones apprehendit, sibi que applicat gratiam & salutem divinitus promissam, is, qui verâ & salvifica fide destituitur, nullo modo salutis particeps fieri potest, adeoque non tam de salute, quam de damnatione sua, nisi pœnitentiam agat, eum certum esse jubemus. Excluduntur & hæretici & impii seu flagitiosi homines, ab hac certitudine, quia non habent veram & vivam fidem, ubi vero fides vera & viva non est, ibi nunquam homo certus de salute sua esse potest. vid. *B. D. Quenstedt. Disput. Theol. de Certitud. salutis habit. Witteb. anno 1672.*

§. II. Homo igitur justificatus certus est non tan-

G. 2

tum

tum de remissione peccatorum & gratia Dei, sed & de salute æterna, conjungit enim Apostolus hæc omnia, & gloriamur &c. Fides enim integra secura est de salute ait *Tertull. c. 18. de Bapt.* Securæ estote caro & sanguis; usurpatis & cælum & regnum Dei in Christo, idem monet de *resurr. c. 51. Minucius Felix in dialogo*, perhibet Christianos securos spe futuræ felicitatis. *Cyprianus* quærit: Quis hic anxietatis & sollicitudinis locus est? quis inter hæc trepidus & mæstus est, nisi cui jus & fides deest? Ejus est enim mortem timere, qui ad Christum nolit ire: Ejus est ad Christum nolle ire, qui se non credat cum Christo incipere regnare. Scriptum est enim: justum fide vivere. Si justus es, & fide vivis, si verè in Deum credis, cur non cum Christo futurus? & de Domini pollicitatione securus, quod ad Christum voceris, amplecteris? de *Mortal. Fides est, quæ nos justos præstat, innixa merito Christi; eadem discutiat timorem mortis, quia certi per eam sumus, nos cum Christo post mortem futuros. B. D. Bebel. Antiquit. Eccles. pag. m. 774.* Fides autem hæc innititur verbo Dei seu promissionibus Evangelicis, quæ omnibus justificatis in vera fide perseverantibus, æternam salutem annunciant atque confirmant, vide *Joh. III, 16. c. V, 24. c. VI, 40. Rom. VIII, 24. 1. Joh. V, 13. Ebr. III, 6. 14. c. X, 38. sqq. Apoc. IV, 10. 26. c. III, 12. 21. &c.* Sic & Apost. Petrus adhortatur: Propterea magis studete firmam vestram vocationem & electionem facere: hæc enim si feceritis, non labemini unquam. Sic enim opulenter subministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri & Salvatoris Jesu Christi *2. Petr. I, 10. 11.* ex quo colligitur (verba sunt *B. D. Gerhard. Comment. in b. l. pag. m. 69.*) verè pios & in Christum credentes posse esse de electione sua certos, non quidem certitudine absoluta h. e. ex absoluto decreto Dei dependente, sed ordinata, h. e. dependente à Dei proposito

posito per Christum in Evangelio nobis manifestato. Sic enim ex h.l. concludimus. Qui electionem suam possunt & debent firmam facere, illi possunt de electione sua esse certi. Verè in Christum credentes possunt ac debent electionem suam firmam facere. Ergò verè in Christum credentes possunt esse de electione sua certi, nempe qui beneficia passione & morte Christi parta, inq; verbo Evangelii sibi oblata, fide amplectuntur, & in fide ad finem usque vitæ perseverant. Potest autem quis esse certus de sua fide tum à priori, videlicet ratione causarum, quæ sunt gratia Dei in ordine causæ principalis; verbum & Sacramenta in ordine causarum instrumentalium. Causis illis in actu positis & non impeditis h. e. quando verbum Dei audimus, Sacramentis utimur, & Spiritui Sancto obicem non ponimus, sequitur effectus, scil. ipsa fides; tum à posteriori, videlicet ab effectis & consequentibus fidei, quæ sunt renovatio interior (quæ cognoscitur ex luctu carnis & Spiritus Gal. V, 17. siquidem ea non nisi in renatis & verè credentibus locum habet) peccatorum displicentia & detestatio, Spiritus S. interior testificatio, studiosa legis divinæ observatio, dilectionem Dei & proximi, patientiam in cruce, & alia bonorum operum exercitia completens. Ex istorum bonorum operum exercitio intelligimus, quod Spiritu Dei agamur, quia bona opera sunt fructus Spiritus Gal. V, 22. Qui autem Spiritu Dei aguntur, illi sunt filii Dei, & per consequens hæredes vitæ æternæ Rom. VIII, 14. sq. Nec solum de fide, sed etiam de perseverantia fidei verè in Christum credentes certi esse possunt, non quidem absolutè, sed suo modo. Fundamentum illius certitudinis sunt duorum generum; quædam ex parte Dei, quædam ex parte nostra. Ex parte Dei, *Primò* bona Dei voluntas, & infallibilis ejus promissio, quia promisit DEUS, se non tantum velle in nobis bonum incipere, sed

etiam perficere Phil. II, 12. inde certi esse possumus, quod
 in fide nos sit conservaturus. *Secundò* Dei virtus & ipsius
 potestas 2. Tim. I, 12. Scio, cui credidi, & certus sum, quia
 potens est depositum meum servare in diem illum. *Tertiò*
 Dei fidelitas 1. Cor. I, 9. fidelis DEus, per quem vocati estis
 in societatem filii ejus, v. 8. qui & confirmabit vos usque in
 finem. Ex parte nostra, *Primò* seria Dei invocatio, quia
 DEus promittit, se preces nostras exauditurum, & quæ ad
 salutem nobis sunt necessaria daturum, ideò petentes à
 Deo perseverantiam in fide de eâ certi esse possumus 1.
 Joh. V, 14. *Secundò* continuata mediorum usurpatio. *Ter-*
tiò, serium Spiritui S. non resistendi, nec in peccata mor-
 talia consentiendi propositum. Vid. *B. D. Gerbard. l. c. p. 73. sq.*
 §. III. Talem Certitudinem salutis seu spei futuræ
 gloriæ habuerunt Sancti, quorum exempla Scriptura S.
 adducit, videlicet *Abrahami*, quippe qui supra spem in spe
 credidit, ut fieret ille Pater multarum gentium, juxta id,
 quod dictum est; Sic erit semen tuum. Et quia non infir-
 matus est fide, sed in promissione Dei non dubitavit infi-
 delitate, sed confirmatus est fide, dans gloriam Deo; Et
 planè persuasus, quod quicquid promissit Deus, possit etiã
 facere Rom. IV, 18. seqq. conf. Ebr. XI, 9. seqq. *Jobi*, Etiam
 ego novi Redemptorem meum, quod vivat; & postre-
 mum, quod super pulverem surget. Et post cutem meam
 circum dabuntur hæc: & ex carne mea videbo DEum.
 Quem ego videbo mihi, & oculi mei videbunt, & non alius
 Job. XIX, 25. sqq. confer c. X, 13. *Davidis*. Ego in justitia vi-
 debo facies tuas: saturabor, quum evigilavero imagine
 tuâ Psal. XVII, 15. Nisi crederem videre bonum Jehovæ in
 terra vitæ Psal. XXVII, 13. Revertere anima in quietes
 tuas; quia Jehovah retribuit tibi. Liberasti namque ani-
 mam meam à morte; oculos meas à lacryma; pedes
 meas ab impulsu. Ambulato ergò coram Jehovah in ter-
 ris

ris

ris viventium Psal. CXVI, 7. seqq. confer Psal. LXXIII, 25. seqq. *Pauli* maxima cum certitudine dicentis: Quis acculabit electos Dei? Deus est, qui justificat. Quis est, qui condemnat? Christus est, qui mortuus est, magis verò etiam qui resuscitatus est, qui etiam est in dextra Dei, qui & intercedit pro nobis. Quis nos separabit à dilectione Christi? Peruasus sum enim, quod neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; instantia, neq; futura. Neq; altitudo, neq; profunditas, neq; aliqua creatura alia poterit nos separare à dilectione Dei, quæ in Christo Jesu Domino nostro est. Rom. VIII, 33. seqq. Scio, cui crediderim, & peruasus sum, quod potens sit, ut depositum meum custodiat in illam diem. 2. Timoth. I, 12. Certamen bonum certavi, cursum absolvi, fidem servavi. Quod reliquum, reposita est mihi corona justitiæ, quam dabit mihi Dominus in illa die, justus iudex; non tantum autem mihi, sed etiam omnibus, qui amant apparitionem ipsius. 2. Tim. IV, 7. 8. His adjungemus exemplum *Augustini*, talem spem futuræ gloriæ habentis, sic enim *Tract. 22. in Job. 5. p. 79.* scribit: Salvator, qui est ipsa veritas, promisit: Amen, Amen, dico vobis, quod qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habeat vitam æternam, & in iudicium non veniat, sed transcenderit è morte ad vitam. Joh. V, 24. Jam verò & ego verba Domini mei audivi, & illis credidi, ergò transcendendi è morte ad vitam, in iudicium non venio, sed habeo vitam æternam, non ex opinione mea, sed ex promissione Salvatoris. Sit hac gloria conscientia, ut sciam, fidem meam esse veram & rectam, ut certò sciam, spem meam futuræ gloriæ esse certam *Id. in Psal. 149. T. VIII. p. 715. Chrysofomi in c. V. Rom. Serm. 9. p. 72.* Gloriamur super spe vel in spe gloriæ filiorum Dei, ut discas, qualem mentem credens habere debeat; Nam non tantum illorum bonorum, quæ jamjam ipsi data sunt, sed

sed & futurorum tanquam præsentium certus esse debet. Gloriatur enim sæpè aliquis super illis, quæ jam accepit, quia ergò & spes futurorum bonorum tam certa & clara est, quam illorum, quæ modo data fuerunt, hinc Apostolus inquit, & gloriamur etiam super illis similiter. *Bernardi Serm. 3. de Sept. fragm. p. 51. b.* Tria considero, in quibus omnis spes mea consistit, nempe Amorem filiationis, Veritatem promissionis, Potentiam hæc omnia dandi. Murmuret ergò stolidus ratio mea quantum & quandiu vult, dicendo: Quis es tu? & quanta est illa futura gloria? & quibus meritis speras illam consecuturum? Ego verò fiduciali confidentia dicam: scio, cui crediderim, & certus sum, quod me ex ineffabili & nimio amore in filium suum adoptaverit, quod fidelis & verax sit in promissionibus, & potens omnia illa præstanda, siquidem quicquid vult facere potest. Hoc est filium triplicatum, quod non facile convellitur, quod è patria nostra vera in hunc carcerem demissum fuit, teneamus euge illud firmiter, ut nos erigat, ad se trahat, & ad videndum tantam gloriam perducat tandem totaliter.

§. IV. Temerarii sumus Pontificiis, quod nobis certam promittamus Dei gratiam & salutem, quippe semper de his dubitandum esse, hunc in modum decrevit. *Concil. Trident. Sess. VI. Cap. IX. Can. 12. sqq.* Neque illud asserendum est, oportere eos, qui verè justificati sunt, absq; ulla omnino dubitatione, apud semetipsos statuere, se esse justificatos, neminemq; à peccatis absolvi ac justificari, nisi eum, qui certò credat, se absolutum & justificatum esse: atque hac sola fide, absolutionem & justificationem perfici, quasi, qui hoc non credit, de Dei promissis, deq; mortis & resurrectionis Christi efficacia dubitet. Nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deq; Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet: sic quilibet

bet

bet dum seipsum, suamque propriam infirmitatem, & indispositionem respicit, de sua gratia formidare ac timere potest: cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consequutum. Causam hujus dogmatis vid. apud *Bellarmin. 4. de Justif. c. 2.* & *B.D. Hülsemann. Praelect. in Form. Conc. p. m. 546.* Certè etiam si nihil præterea peccatum fuisset in doctrina Pontificia, (sunt verba *B. Lutheri in c. 41. Genes.*) quam quod docuerunt, nos debere vagari & fluctuare ambigentes & dubios de remissione peccatorum, gratia & salute nostra, justas tamen haberemus causas, cur ab Ecclesia infideli nos sejungeremus. Qualis verò, Deum immortalem! est illa doctrina, cujus effectus, summa & finis est, ut anxietatis conscientiae quærentes consolationem, conjiciantur in perpetuas hæsitaciones & dubitationes suæ cum Deo reconciliationis, remissionis peccatorum, salutis & vitæ æternæ? Interim tamen ad blasphemum hoc dogma stabilendum adducunt dicta Scripturæ S. quæ videntur certitudinem impugnare: Qui stat, videat ne cadat. *1. Cor. X, 12.* Cum timore & tremore operamini salutem. *Phil. II, 12.* noli altum sapere, sed time. *Rom. XI, 20.* In timore incolatus vestri tempore conversamini, *1. Petr. I, 17.* Beatus, qui terret assiduè cor suum. *Prov. XXVIII, 14.* Ad has sententias responsio generalis est: Monent enim, ne persuasione certitudinis de salute, degeneremus in carnalem securitatem, qua ipsa fides suffocatur & extinguitur. Nec indulgeamus vitiosis affectibus: ita enim fides excutitur, Et nisi permanserimus in bonitate Dei, excindemur *Rom. XI, 22.* Non manet autem fides in illis, qui sine pœnitentia indulgent pravis affectibus. Sunt ergò hæ sententiæ non conciones de dubitatione fidei, sed exhortationes, ne fides possidens certitudinem salutis, vel securitate extingatur, vel actionibus carnis excutiatur, sed

H

ut

ut exerceatur perpetuo in lucta contra carnem, ne illius petulantia effundatur gratia, Spiritus Sanctus & certitudo salutis *B. Chemnit. Ex. Conc. Trid. P. I. p. m. 272. sq.* Sed objiciunt Adversarii contra dictum nostrum nullam esse consequentiam, justificati gloriantur in spe futurae gloriae, ergo sunt certi de salute: cum spes saepe fallat, & illud etiam sperari possit, quod est incertum. Verum fucum faciunt, dum spem certitudini opponunt, quippe hac ratione nihil aliud, quam conjecturalem & cum dubitatione conjunctam persuasionem admittunt; Spes autem firma & vivida solidam certitudinem supponit, & qui spe viva praeditus est, adeo certus est de bono futuro, ac si illud in praesenti actu obtineret. Unde *Augustinus in Psal 123.* Spes nostra tam certa est, quasi res jam perfecta sit: Neq; enim timemus promittente veritate, veritas nec falli potest, nec fallere, bonum est, ut haereamus illi. Quapropter Paulus Rom. VIII, 24. non de futuro, sed de praesenti ait: In spe salvati sumus. Intelligi autem in dicto Paulino spem non languidam, sed firmam e v. 5. clarum est, ubi dicitur spes, quae non pudescit, h. e. juxta explicationem ipsius *Estii*, quae non fallit, sive, non frustrabitur ille spe sua, quia qui frustrantur expectatione, solent pudescere ac rubore suffundi, vid. *Est. Comment. in h. l.* Vana quoque & ridicula foret gloriatio, si quis de eo bono gloriari vellet, cujus an unquam particeps futurus sit, vel dubitet, vel plane ignoret. Cum igitur fideles pacem habeant cum Deo, & conscientiae tranquillitate adeo gaudeant, ut in spe futurae gloriae gloriari & exultare possint, utique sequitur, eos de salute sua spem habere longè certissimam. Vid. *B. D. Quenstedt. Diss. alleg. de Certitudine salutis lit. B. 2.* Egregiè de certitudine hac contra dubitationes Pontificiorum *B. Lutherus* noster loquitur *Postill. Eccles. Part. Hyemal. fol. 147.* von dem Ruffen/ Abba/ lieber Vater: Disß Ruffen fühlet man denn/ wenn das Gewissen ohn alles Wanken und Zweiffeln festiglich sich vermuthet/ und gleich gewiß ist/ daß nicht allein seine Sünde ihm vergeben sind/ sondern daß er auch Gottes Kind sey/ und der Seligkeit sicher/ und mit fröhlichem gewissen Herzen in aller Zuversicht mag Gott seinen lieben Vater nennen: Solcher muß er gewiß seyn/ daß ihm auch sein Leben nicht so gewiß ist/ und ehe alle Tödtē/ ja die Hölle darzu leyden sollte/ ehe er ihm das nehmen liesse/ und daran zweiffeln

feln

fehn wolte. Denn das wäre Christi reichlichem Thun und Lenz
den viel zu nahe/ wo wir nicht glaubten/ daß er uns das alles
überflüßig damit hätte erworben. Und bald darauf: Weiß aber
diß Cain höret/ so wird er sich aber segnen mit Händen und Füß-
sen/und für grosser Demuth sagen: Ey behüte mich GOTT für
der greulichen Kezerey und Vermessenheit! Solte ich armer
Sünder so hoffärtig seyn? und sagen/ ich sey GOTTES Kind?
Nein/ nein/ ich wil mich demüthigen/ und für einen armen Sün-
der erkennen. Diese laß fahren/ und hute dich für ihuen/ als für
den größtesten Feinden des Christlichen Glaubens und deiner
Seligkeit. Wir wissen auch wol/ daß wir arme Sünder sind:
Aber hier gilt's nicht ansehen/ was wir sind und thun/ sondern
was Christus für uns gethan hat/und noch thut. Die Cainische
Heilige hingegen/ weil sie diesen Christlichen Glauben nicht ha-
ben/ wie sie selbst bekennen/bleiben im Zweifel also hangen/und
lehren zweiffeln/so geschieht ihnen/wie sie glauben/und sind auch
nicht/ werden auch damit nimmermehr gerecht und selig. Nos
verò Dei gratia fide in Christum Dominum nostrum justificati gloria-
mur certò certissimè in spe futuræ gloriæ filiorum Dei. De quâ gloria
etiã quædam dicenda essent, sed ne nimium excreseat hæc exercita-
tio in aliud tempus Deo volente reservabimus. Interim Deo Triuni
devotissimas ago gratias, non tantum pro Gratia Spiritus S. sed &
concessa sanitate corporis, quo hunc laborem sacrum ad finem per-
ducere potuerim, ille & meam conscientiam Pace sua tranquillet,
aditum ad DEUM semper concedat, ut & ego super spe futuræ glo-
riæ gloriari possim, & alios, ad desiderium hujus gloriæ exhortari
cum *Bernbardo Serm. 33. sup. Cant. col. 598.* O festinemus ad locum
tutiorem, ad passum suaviorem, ad ulteriorem & fertiliorem agrum.
Festinemus, ut habitemus sine metu, abundemus sine defectu, epu-
lemur sine fastidio, & gloria vitæ æternæ perfruamur in secula nun-
quam finitura Amen!

DEO TRIUNI SOLI GLORIA!

H 2

JOHAN-

JOHANNES Deutschmann / D.
ET p. t. ACADEMIÆ RECTOR,

VIRO MAXIME REVERENDO, AMPLISSIMO
ET CLARISSIMO

DN. M. CHRISTIANO Gottfried
GRÆFIO,
ECCLESIAE WURTZENSIS ARCHI-
DIACONO,

SALUTEM ET OMNEM BENEDICTIONEM!

Probata semper, & nunquam satis laudata, fuit olim
*consuetudinis, Viros religiosos, Pastores Ecclesiasticos,
Ministerii quoque, vel etiam Theologiae Candidatos, alibi
locorum commorantes, Academias visitasse publi-
cas, fructuosas adornasse Disputationes, & in honorem
Divini Nominis, atque Numinis, de rebus arduis, imprimis
Mysteriis Regni Cœlorum, Collationes cum Eruditis, in utilissi-
mam Studiosorum Academicorum ædificationem, publicasse
laudatissimas. Syllabum Exemplorum modo colligere
neque placet, neque decet. Exemplum quavis exce-
ptione, vel commendatione, Majus est Nostri Salvatoris,
cujus Exemplum omnibus instar Exemplaris esse debet.
Hic non solum una cum Parentibus, ad cultum publi-
cum, Templum Hierosolymitanum, ut Servus Patris, ingres-
sus, sed, tanquam Ministerii, Sacro-Sanctæq; Theologiae Candi-
datus, Supremam Judæorum Academiam, frequentissi-
mum Doctorem, atque Scribarum, Collegium, introgressus,
ut, in hoc Eruditorum amplissimo confessu, non modo
publicæ Eruditionis Theologicae specimen, interrogando, vel per
interrogationes subtiliter opponendo, ad aliorum objectiones
sapien-*

sapienter respondendo, vel aliorum collationibus *presidendo*, vel hac ratione tam *Opponentium*, quam *Respondentium*, & *Præsidium* partibus defungendo, cum *Auditorum* admiratione deponeret, sed & *indiciū meritorum futurorum* non incertum cunctis exhiberet. Viguit antea, per *Salvatoris gratiam*, & in *Academia Nostra*, penes *B. Lutheri Cathedram*, hæc consuetudo, sed modo per aliquot lustra defuit. *Laude* proinde dignus es, DN. ARCHIDIACONE MAXIME REVERENDE, FRATER IN CHRISTO DILECTISSIME dum, circa *seculi præsentis finem*, *Consuetudinem collapsam* renovas, *Exemplum Exemplorum* JESULI, Summi Doctoris, redintegras, & præclara *Talium Antecessorum* facta, cum primis elapsi seculi, *laudadissimo* hoc facinore confirmas, & obsignas. DEUS omnis gratiæ custodiat inter nos *Sapientiæ Verbum*, au-geat inde *Sapientiam*, & *Prudentiam Theologicam*, continuet *has laudabiles Academiae nostræ consuetudines*, & *cælestis benedictionis rivulos* in T.M.R. Dignitatem, in labores Tuos sacros, in laborum merita, in Laborantis desideria, & *horum omnium successus exoptatos*, & *eventus expectatos*, copiosissime propter Christum effundat! FIAT! In Nomine JESU FIAT! Witteb. die VIII. Mart. Anno M DC XCIX.

RESPONDENTI SUO

S. P. D.

PRÆSES.

Variè me affecerunt Tuæ, quas V. Martii hujus anni ad me, cum Dissertatione Tuâ misisti, Vir honoratissimè. Intellexi ex iis Sinceritatem in orthodoxâ Religione, Zelum in demonstrandâ & à corruptelis vindicandâ veritate divinâ, ardorem in Studiis, eruditionem in puriori

H 3

Theo-

Theologiâ constantiam in salutari proposito, iudicium in feligendo laborum themate, & in eodem pertractando ingenii dexteritatem. Singula hæc digna erant, quæ Te bonis quibuslibet impensius commendare poterant; cur me ergò universa non caperent, ut Te & æstimarem, & quàm commendatissimum jure meritò haberem? Quantopere Religionis sinceritas hodiè, proh dolor! à plurimis corrumpatur, quem latet? Si quos igitur DEUS in puriori doctrinâ constantes, quæ est Gratiâ & Clementia Ejus, conservat, omni laudis encomiò eosdem dignos esse, nemo, qui orthodoxiam amat, ambiget. Tu ergo cum non ultimus ex iis sis, publicèque id in Luce Academicâ, Dissertationem egregiam non solùm conscribendo, sed & eandem fortiter defendendo, comprobare studeas, quantum abes à plurimis, tantò magis æstimandus & honorandus es. Noverunt non nulli Veritatem divinam, eandemque retinent; sed ut publicè eandem contra Adversariorum artes & verfutias defendant, adigi aut persuaderi nolunt. Tu verò sponte Tuâ, & minimè ab aliis inductus, id præstare non solùm in animò habes, sed & re ipsa præstas. Plerique eorum, qui ad munera Ecclesiastica admoti sunt, quamquam in cæteris Vocationi satisfaciant, in eò tamen otiosi deprehenduntur, dum, quæ in Academiis didicerunt, nec repetunt, nec eadem novis fulcimentis muniunt, sed stertentes quasi in eò doctrinarum genere, à lectione, meditatione & scriptione cessant, dediscentes ea, quæ antea didicerant saluberrima. Longe aliam Tu viam ingressus es, quando, quæ muneris gratiâ Tibi mandata sunt, non negligis, in iisdem tamen non penitus hæres & acquiescis, sed & quæ ab Academicis tractanda sunt, non solùm masculè aggredieris, verùm etiam cum laude expedis, eòve modò doces, Te non
foli

foli Cathedræ Ecclesiasticæ, sed & Academicæ, si Deo ita placeret, posse satisfacere. Plurimi Eruditionis nomen habent, re destituuntur, quibus sufficit, vocari & videri eruditos, quanquam parum eruditionis possideant. Longissimè Tu ab iisdem secessum fecisti, dum eruditionem solidam Tibi non solum in Scholis & Academiis comparasti, sed & eandem extra Academiarum pomeria vivens, omni studiò & labore auctiorem fecisti. Neque pauci reperiuntur, qui Asinos Maurusios, quàm constantes caballos, imitari malunt. De iis Ælianus testatur, quod, cum se primum in viam dant, tantâ velocitate iter capebant, ut non currere, sed volare videantur, mox verò & pedibus & Spiritû deficiente, ut tandem velut captivi ad equos alligati trahendi sint. Tu verò ceu generosus Caballus non ardentè solum eruditionis campum ingressus es, sed & in eodem pertinaciter pergis, & ad palmam usque constanter curris. Multum satis non pauci laborant, sed verò eam sibi rem, in quâ se exerceant, eligere solent, quæ tutò negligi poterat. Sed Tua, quam Tibi elaborandam selegisti materiam, tanta est, quanta in universò SS. Theologiæ ambitu vix reperiri potest. Neque pauci eorum sunt, qui, quando in seligendo, in quò currant campò, non prorsus aberrarunt, ita tamen cursum peragunt, ut mirum in modum passim cespitent, claudicent, & aut devient, aut in præcipitia decidant. Tu verò eò felicior in his vivis, quò longius ab iisdem nævis & erroribus Te semotum agis. Docet hæc omnia atque singula præsens Dissertatio, quam non solum magnâ cum industriâ & iudicii acumine conscripsisti, sed &, quæ paucissimorum animositas est, in Academiâ nostrâ publicè, & adversus Opponentes egregios & exercitatos masculè cupis defendere. Macte hæc virtute Tuâ, quâ Ecclesiam ortho-

thodo-

thodoxam, Academiam nostram & probos quoslibet
Tibi suaviter & amanter devincis. Perge ut genero-
sus caballus in hoc campo, & palmas atque triumphos
eximios planè certissimè expecta. Quod ut DEUS cle-
menter faxit, etiam atque etiam Tibi ex sincerâ animi
mente precor. Scribeb. Wittenbergæ XV. Martii, A.
E. C. M DC XCIX.

UT fœcunda suis non est sine fructibus arbor,
Creditur incessans sic vigilare fides.
Justum te credis? fac sint conformia facta,
Signa tui status, justitiæ fidei.
Lex angit; fidei sed gratia læta docebit;
Lex, ter sancta licet, nulla beare potest.
Sed valet in Christo, quam præstat Legifer insons,
Pro nostro sistens crimine justitiam.

*De pœnitentiæ fructibus doctissime disputanti
Plur. Rever. & Præclariss. Dn. M. CHRIST.
GOTHOFREDO GRÆFIO, Archi-Diacono
Wurtzensi, gratulatur*

Ph. L. HANNEKENIUS, D.

MActe animo, GRÆFI, & præclaras exsere fruges,
Quæ mox venturæ culmina mesfis habent.

Gratul. dedit

JO. GEORG. NEUMANNUS, D.



1074

